This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.
+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.
+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.
+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at http://books.google.com/

466

Per. 2119 e. 22/7

BIBLIOTHECA
AUGUSTANA,

COMPLECTENS
NOTITIAS VARIAS
DE VITA ET SCRIPTIS
ERUDITORUM,

QUOS
AUGUSTA VINDELICA

ORBI LITTERATO
VEL DEDIT VEL ALUIT.

Congeſſit FRANCISCUS ANTONIUS VEITH
Auguſtanus, Bibliopola.

Alphabetum VII.



BIBLIOTHECA·BODLEIANA

AUGUSTÆ VINDELICÆ.
SUMPTIBUS AUCTORIS.
MDCCLXXXXI.

MVSEVM
BRITAN
NICVM

1831
DUPLICATE
FOR SALE

PRÆFATIO

Poſtquam, ab anno 1785. *in annum* 1790. Volumina *ſeu* Alphabeta ſex Bibliothecæ *meæ* Auguſtanæ *confeceram, dubia mentem ſubiit cogitatio, ut poſitô calamô ab iſta immenſi propemodum laboris Opere quieſcerem. Ob eam rem* Alphabetum ſextum *tum* Supplementis, *tum* Indice copioſo *inſtruxi; ut (ſi quidem ea cogitatio ſtaret, idque propoſitum menti maneret) non eſſet, cur Lectores mei de imperfecto mancóque Opere conqueri poſſent.*

Suadebant autem & ingraveſcens ætas, quæ, utpote ad ſexageſimum vitæ annum proxime accedens, quietem jure quodam ſuo appetere videtur: et ipſa vaſtiſſimi Operis, in quo elaborando ſolus ego exerceor, magnitudo, ut manum de tabula moverem. Atque ut de poſtremo dicam; quis eſt tam ſtupidus

ac mentis inops, qui non videat, quales ac quantæ homini, ſcripta ab aliis reſcribere temere atque inconſulto nolenti, ſed omnia ſuis uſurpare oculis, coramque inſpicere, omnia (quantum id fieri poteſt) exaſciare, polire, ornare conanti in inquirendis ac pervolvendis Eruditorum, quos laudare ſibi ſumit, Operibus moleſtiæ ſubeundæ: quales ac quanti in recenſendis eorundem Operum editionibus labores exantlandi: qualia ac quanta in perſcrutandis Vitæ Eruditorum ſuorum circumſtantiis tædia devoranda ſint? Quod ſi qui exiſtunt, qui hoc laboris genus tenue, nec multa attentione dignum judicent; at certe ii, qui in eodem ſtadio (litterario nimirum) decurrunt, propriâ docti experientiâ, facile mihi conſentient.

Adde varias multasque negotiationis librariæ, quibus pro vitæ ab ineunte adoleſcentia ſuſceptæ ratione diſtineor, occupationes, omne ferme tempus eruditis laboribus opportunum rapientes. Ut nihil de ineptis unius alteriûsve male docti Critici *ſeu* Ephemeriſtæ *cenſuris dicam, quibus fit, ut, unde auctori bonor ac laus obtingere deberet, inde probrum ac dedecus publicum immerenti* a) *obveniat; quod futilibus*

eius-

a) Sunt in manibus meis *Epiſtolæ* Virorum doctiſſimorum, eccleſiaſticis & Academicis honoribus

at-

eiusmodi criteriis ſaltem incauti credulique Lectores a vero facile ſeducantur.

Memoratis cauſſis permotus telam, quam cœperam, abrumpere cogitabam. Quod conſilium meum ubi eruditis amicis meis, Viriſque verioris ac ſolidioris doctrinæ aperuiſſem, confeſtim illi contrà vehementiſſime me cohortati ſunt:

„ *Curriculum, in quod deſcendiſſem, ſtu-*
„ *dioſe emetiri ne gravarer, nec laboris mag-*
„ *nitudine abſterreri me paterer. Opus eſſe*
„ *tale, quale et patriæ urbi, & meo ipſius*
„ *nomini apud cordatos omnes haud parum*
„ *laudis conferret. Floccipenderem inſulſas*
„ *quorundam cenſuras, quippe quorum auc-*
„ *toritas apud Eruditos jam adeo vileſcere,*
„ *nec injuriâ, cœpiſſet, ut, quæ ab illis pro-*
„ *feruntur, parum aut omnino non curet lit-*
„ *teratus orbis. Servare me utique in Ad-*
„ *verſariis meis adhuc quamplurima hactenus*
„ *ignota, nova, notatu digniſſima, quæ cum*
„ *Doctis communicarem, Docti maxima*
„ *cum voluptate excepturi eſſent. Itaque ho-*

atque officiis clarorum, tum indigenarum, tum exterorum; quibus, quam præclare de meo Opere ſentiant, affatim teſtantur: quibus munitus ego paucorum *Zoilorum* dicteria facile temno.

„ *ras ſubſecivas non otio aut quieti*, *ſed* Bib-
„ liothecæ *meæ* Auguſtanæ *continuandæ ab-*
„ *ſolvendæque dicarem*, *&* *hoc modo benevo-*
„ *lam litteratæ Reipublicæ exſpectationem*
„ *complere gnaviter ſtuderem*.“

His monitis victus alium animum ſumpſi, *et ad ſtudia mea me denuo referens decrevi*, *ſex adhuc* Alphabeta, *ſeu* Volumina *adjuvante Deo publicare*, *ſic ut* duodecim *Voluminibus in lucem editis tota mea* Bibliotheca Auguſtana *abſolvenda et conſummanda ſit*.

Accipe igitur, *Lector benevole*! Alphabetum ſeptimum, *cuius brevis ſumma hæc eſt*. *Poſt pauca præmiſſa*, de inſignibus illuſtriſſimæ S. R. I. Comitum Fuggerorum Gentis in Rem litterariam Meritis *multis ago*, *quæ* Libello ſingulari *anno* 1790. *impreſſa*, *&* *nobiliſſimæ Familiæ* in manſuram venerabundæ ſervitutis meæ memoriam *dedicata*, *præſenti* Alphabeto *repetenda cenſui*, *ut*, *quam late patet negotiatio libraria*, *perque noſtras juxta ac exteras oras*, *tantæ Gentis gloria diffundatur*. *Succedit docta Trias Abbatum imperialis monaſterii ad* SS. Udalricum & Afram, *nimirum* Bernardus HERTFELDER: Gregorius JOS: *&* Cæleſtinus MAYR. *Iſtis Præſulibus comites eunt plures docti Coe-*

nobi-

nobitæ eiusdem celeberrimi loci, nominatim Corbinianus KHAMMIUS. *Ex his omnibus* (*ſi bene animum adverteris*) *quandam veluti memorati monaſterii Hiſtoriam litterariam per unius et dimidii ſæculi ſpatium, videlicet ab anno* 1600. *circiter usque in annum* 1750. *excurrentem, conflari videbis; præcipue ſi* Martinum GUTWILLIG, *de quo in* Alphabeto I. *egi*: *ſi* Simpertum BERCKMILLER, Gregorium GASTEL, *&* Carolum STENGELIUM, *quos in* Alphabeto III. *laudavi*: *denique ſi junxeris* Magnum AGRICOLAM, *&* Rupertum SEMBLER, *quorum in* Alphabeto V. *memini. Finem facit Biga celeberrimorum Philologorum, ſcilicet* Hieronymus WOLFIUS (*Huic* Jeremias MARTIUS *Medicus, ac* Matthias SCHENCKIUS *Primarius Scholæ* Annæanæ *aſſuuntur*) *&* Guilielmus XYLANDER. *Hactenus de præſenti* Alphabeto.

Reliquum eſſe videtur, ut, quibus adjumentis Opus meum hucusque profecerit atque in eam, quâ eſt, molem excreverit; et quibus in poſterum (*Haud vana ſpes eſt*) *proficiet, narrem. Præter ea, quæ in* Adverſariis *meis congeſſi ipſus, plurima: præter ampliſſimas commoditates, quas tum* Bibliotheca, *tum* Officina libraria *optime inſtructæ*,

cum fratre mihi communes, *offerunt*: *quatuor potiſſimum Bibliothecæ ſunt*, *quarum mihi maximus uſus fuit.* Prima *eſt* Bibliotheca *inclytiſſimi Aſceterii* San - Udalricani, *cui*, *uti & Archivio curandis præfectus* P. R. P. Placidus BRAUN b) *RRmo. Antiſtite* WICTERPO *eximio litterarum Patrono*, *& qui hunc in abbatiali dignitate proxime præceſſit*, JOSEPHO MARIA *gratioſe annuentibus*, *ſtudia mea omnibus*, *quibus poterat*, *modis adjuvit*, *atque adjuvat.* Secunda *eſt* Bibliotheca Collegii SS. Salvatoris, *ex qua*, *Superiorum permiſſu*, *quam plurimos libros a P. R. chariſſimo ac germano fratre meo* Laurentio VEITH *SS. Theologiæ Doctore ac Profeſſore* c) *inſpiciendos atque utendos habui.* Ter-

b) Vir hic indefeſſæ diligentiæ, et elegantioris litteraturæ ſedulus cultor famam, quam ſibi in orbe litterato editâ *Notitiâ hiſtorico - litterariâ de Libris ab artis typographicæ inventione ad annum* 1500. *impreſſis*, *in Bibliotheca monaſterii SS. Udalrici & Afræ*, *Auguſtæ* extantibus in 4to. peperit, augere pergit alteram luci dans *Notitiam hiſtorico-litterariam*, videlicet *de Codicibus MSStis in eadem Bibliotheca aſſervatis*: cuius *Volumen I.* anno 1791. ſumptibus *Fratrum* VEITH, *Auguſtæ*, in 4to. prodivit.

c) Is in *Societate*, cui ſe addixerat, *Humaniora*, *Philoſophiam* ac *Theologiam* pluribus in locis docuit publice; et in Univerſitate quidem *Ingolſtadien-*

Tertia *eſt* Bibliotheca civica, *quam fidei ſuæ creditam habens Vir perdoctus* Hieronymus Andreas MERTENSIUS *Rector* Annæanus *mihi multimodis, ac humaniſſime opem navavit.* Quarta *eſt Bibliotheca* Pollingani *in Bavaria* monaſterii, *cuius eruditiſſimus juxta ac reverendiſſimus Præpoſitus* FRANCISCVS *libros, quotquot aut neceſſarii mihi aut utiles erant,*

dienſi quatuor annos, Philoſophiam: quinque vero cum moralem, tum dogmaticam Theologiam tradendo conſumpſit, aliis adhuc annis quatuor in *Collegio Societatis Ingolſtadiano* Præfectum ſtudiorum agens. Edidit hactenus ſequentia: I. *Diſſertatio de Primatu & Infallibilitate Romani Pontificis.* in 8o. *Auguſtæ.* 1781. II. *Edmundi Richerii, Doctoris Pariſini, Syſtema de eccleſiaſtica & politica Poteſtate, ſingulari Diſſertatione confutatum.* in 8o. *Ibidem.* 1783. III. *De gemina Delectatione, cœleſti ac terrena, relative victrice.* in 8o. *Ibidem.* 1785. IV. *Scriptura ſacra contra Incredulos propugnata.* in 8o. *Ibidem.* Pars I. 1789. Pars II. 1790. Pars III. 1791. *A Pentateucho — usque ad Libros II. Eſdræ*, incluſive. Nunc in patrio Lycæo theologicas profitetur diſciplinas, tertiò jam ob alias Lucubrationes theologicas, et recentiſſime ob *Scripturam ſacram contra Incredulos propugnatam*, apoſtolicis ſummi Pontificis noſtri PII VI. Litteris clementiſſime dignatus: abſolvendo *Operi* ſuo *ſcripturiſtico* intentus: quod elaborare jam tum meditabatur, cum *Anglipoli*, ſtudio generali præfectus, *Societatis* Scholaſticis Scripturam ſacram per integrum quadriennium, privatim prælegendo, expoſuit.

erant, transmitti benigniſſime indulſit. Neque laude ſua fraudandus eſt Georg. Guilielmus ZAPFIUS *Conſiliarius intimus* Moguntinus &c. *qui ex inſtructiſſima* Bibliotheca *ſua* litteraria *incoepta mea magnopere ſecundavit. Quibus omnibus ac ſingulis uti plurimas grates debeo; ita plurimas hoc in loco, ac publice perſolvo.*

Hæc ſunt, Lector! quæ te inpræſentiarum monere debui. Vale. Scribebam Calendis Januarii, anni M.DCC.LXXXXI.

AUCTOR.

Nomi-

Nomina eorum,

Qui hoc *Alphabeto VII.* continentur.

Obſerva, Lector! eos Scriptores, qui *peculiari Paragrapho* laudantur, litteris majuſculis: eos vero, qui duntaxat in tranſitu, aut per modum brevis *Notæ* memorantur, litteris minuſculis exprimi.

Pag.

ANONYMUS *Ord. Carmelit.* circa annum 1410. — I

Berckmar (Reginbaldus) *ad SS. Udalricum & Afram.* - - 142

BRANDEN (*Georgius*) J. V. D. - I

Durner (Cæleſtinus) *ad SS. Udalricum & Afram.* - - 120

Feſenmayr (Leonardus) *ibidem.* - 121

Fiſcher (Sympertus) *ibidem.* - 105

FUGGERIADÆ *Gentis* Merita litteraria univerſim ſpectata. - - I

FUGGERUS (Raymundus) - - II

Huius Poſteri.

JOANNES JACOBUS. - - 17

GEORGIUS. - - - 29

UDALRICUS. - - - 33

SIDONIA ISABELLA. - - 42

PHILIPPUS EDUARDUS. - - 44

FUGGERUS (Antonius) - - 51

Huius Poſteri. - -

MARCUS Duûmvir Auguſtanus - 65

OTTO HENRICUS Bellidux. - - 75

JACOBUS Epiſcopus Conſtantienſis. - 79

Fuggerus (Antonius) alius. - 86

Fuggerus (Albertus) - - 87

Fuggerus (Chriſtophorus) - 87

Fug-

Pag.

Fuggerus (Sigismundus Fridericus) *Epiſcopus Ratisbonenſis.* - 88
Fuggerus (Anton. Ign. Joſeph.) *Epiſcopus Ratisbonenſis.* - - 88
Fuggerus (Philippus Carolus) - 92
Ganſler (Rupertus) *ad SS. Udalricum & Afram.* - - 144
HERTFELDER (Bernardus) Abbas *ibidem.* 93
JOS (Gregorius) Abbas *ibidem.* - 115
KHAMM (Corbinianus) Cœnobita *ibidem.* 124
Kiſtler (Benedictus) Cœnobita *ibidem.* 141
Kiſtler (Romanus) Cœnobita *ibidem.* 103
MARTIUS (Jeremias) Medicus Auguſtanus. 205
MAYR (Cæleſtinus) Abbas *San-Udalricanus.* 145
Mökner (Reginbaldus) Cœnobita *ibidem.* 106
Pfeiffer (Petrus) Cænobita *ibidem.* 113
Planck (Fridericus) Cœnobita *ibidem.* 114
Ruepp & Falckenſtein (Benno *Comesde*) Cœnobita *ibidem.* - - 139
SCHENCKIUS (Matthias) Primarius Scholæ *Annæanæ* - - 216
WOLFIUS (Hieronymus) *Philologus.* - 153
XYLANDER (Guilielmus) *Philologus.* - 224
ZIEGLERUS (Hieronymus) - 253
Zoller (Joſephus) Præpoſitus Cœnobii *Liedzheimenſis.* - - 151

ANONY-

ANONYMUS *Ord. Carmelitarum*, circa annum 1410.

De hoc *Bibliotheca Carmelitarum*, in *folio Aurelianis* excuſa, ſequentia memorat.

„ *Theologus* & *Hiſtoricus* ſcripſit latine: *Septem Capitula de Religione FF. Carmelitarum Lib. I.* „ qui aſſervatur in ampliſſima *Bibliotheca* publica „ *Auguſtæ Vindelicorum*; uti colligit *Ludovicus* JACOB (*in Bibliotheca Carmelitana MSS.*) ex *Catalogo Bibliothecæ Auguſtanæ*, ab *Elia* EHINGERO, „ in *folio*, *edito a*). *Quædam de Origine Carmelitarum. MSS. Sermonem de novo Anno, & de pluribus Sanctis. MSS. Auctoritates quasdas ex Jure decerptas. MSS. Sermonem pro commendatione animæ cuiusdam Principis defuncti. MSS. Legendam de S. Alberto Carmelita. MSS. Sermones de Confeſſione, M. Thomæ Haſſelbach. MSS. Caſus papales & epiſcopales. MSS.* Hic *Anonymus* claruit anno Chriſti 1410. teſte *Ludovico* JACOB, „ *l. c. p.* 27.“

a) Ibi vide *pag.* 132.

BRANDEN (*Georgius*)

Juris utriusque Doctor, Presbyter *Eichſtettenſis*, inter Canonicos cathedralis Eccleſiæ *Auguſtanæ* anno 1591. adlectus, edidit *nobiliſſimum Tractatum* hôc titulô:

Super Concordatis inter S. Sedem apoſtolicam & inclytam Nationem Germaniæ Collectanea omnibus Germanis cognitu neceſſaria; ipſo Textu Concordatorum a mendis diverſarum Editionum ſtudio-

ſe expurgato. in4o. *Romæ.* 1600. Iterum *Coloniæ.* 1694. Dicavit Cardinali *Cynthio* ALDOBRANDINO, ſcribendi meletematis cauſſam hîsce verbîs pandens: *Dum ſuper* Concordatorum *obſervantia cum multis doctrina conſpicuis viris non raro per* Germaniam *colloquia conferrem, plures (inter quos cum primis fuit D. Joannes Hilteprandus* MECKERUS, *ſuperioribus annis* Euſtetenſium *Epiſcoporum Cancellarius integerrimus, nunc S. C. M. ab arcanis conſiliis &c.) à me incorruptum tenorem eorundem* Concordatorum *petierunt. Quibus aliter ſatisfacere non potui, quàm transmittendo*Colonienſe *non tamen ſine mendis impreſſum exemplar: cum ſimul viderem paſſim per Germaniam corruptiſſima extare exemplaria, quædam impiis gloſſis perverſorum hominum, quædam alias ſic inverſa, ut quibusdam omnia in ſiniſtrum ſenſum detorquentibus, plerasque rite factas Apoſtolicas Proviſiones, ex ipſismet* Concordatorum *male acceptis verbis, impugnandi eſſet occaſio. Ab eo tempore cogitavi operæ pretium fore, ſi dicta* Concordata, *adjunctis aliis ad ea pertinentibus Apoſtolicis Conſtitutionibus, magis correcta prodirent: Utque in hoc laborem aliquem pro mea tenuitate impenderem, ſæpius exoptavi tempus opportunum, quod in turbulenti huius ſæculi procellis (quibus ego ultra modum exagitor) hucusque habere non potui. Cum tamen nuper* Romani *calores me anguſto cubiculo incluſum detinerent, mihique expectandum eſſet, donec viderem Decretum in cauſſa mea, (cuius primum initium fuit impetratio certorum Beneficiorum vigore dictorum* Concordatorum *ſeu aliàs in Curia vacantium) quicquid ſuper* Concordatis *huiusmodi inter ſcripturas meas, et in* Bullario Romæ *impreſſo reperi, parvo hoc Libello conſcriptum, pro omnium Germanorum majori commodo, typis recudendum dare decrevi..*

FUG-

FUGGERIADÆ GENTIS
MERITA LITTERARIA
UNIVERSIM SPECTATA.

Cætera inter, quibus FUGGERORUM Gens illuſtriſſima à vetuſtis refulget temporibus, ornamenta haudquaquam infimum locum tum ſcientiarum amor: tum ampliſſimum patrocinium, quod nobiliſſima iſta familia litteris ac litteratis *) prolixè impendere dignata eſt, ſibi vindicare dignoſcuntur.

Hinc optimo conſilio & conatu maxime laudando factum, vt *Jacobus* BRUCKERUS *a*) Vir in Hiſto-

*) Lege *Georg.* HENISCHII dedicationem, quâ *Heſiodum* a ſe anno 1580. editum *Chriſtophoro* FUGGERO, Kirchbergæ et Weiſſenhorni Comiti, ſacravit.

a) Vide *Miſcellanea Hiſtor. philoſ. crit. litterar.* ab eo edita, 1748. in 8o, *pag.* 391.

Hiſtoria litteraria verſatiſſimus, *Gentis Fuggeriadæ Merita in litteras* brevi *commentariolo* illuſtrata litterato orbi propoſuerit. Diviſit autem is memoratum *Commentariolum* in duo potiſſimum capita: in quorum *primo* FUGGEROS, qui Muſis litârunt ipſi, paucîs énumerat: in *ſecundo* vero, quatuor maxime eosdem modis Rempublicam litterariam juvaſſe, docet. Sunt hi:

I. *Gazophylacium*, quod advectis ex toto propemodum orbe, præcipuè *Græcia* & *Sicilia*, rariſſimis Antiquitatis monumentis æreis, lapideisque, & pretioſis Numiſmatibus condiderunt: in cuius laudes quin excurreret *Beatus* RHENANUS *b*), continere ſe nequiit.

II. *Bibliotheca* impenſis fidem ferme ſuperantibus vix non ad regium ſplendorem evecta, in qua Libri rariſſimi, varia naſcentis typographiæ cimelia, Codices manuſcripti plurimi magno ære, præcipue per *Joannem* DORSCHWAMUM, *Fuggeranarum* rerum in *Aula Cæſaris* atque in *Oriente* Procuratorem, redempti ſervabantur: cuius laudes *Hieronymus* WOLFIUS *c*), eidem curandæ præfec-

b) In *Centuria Epiſtol. philolog. à* GOLDASTO edita, *p.* 210.

c) Huius *Vitam* in *Alphabeto VII.* meæ *Bibliothecæ Auguſtanæ* do, ex qua ipſa, quæ huc pertinent, curioſus

ſectus, luculento *Carmine d*) cecinit: ex qua, tanquam litterario quodam armamentario præſtantiſſima veterum Scriptorum Opera à Viris eruditis in lucem communemque uſum (FUGGERIS non ſolum benigne annuentibus, ſed & omni ope atque opera docta iſta conſilia fulcientibus) protracta *d*) fuiſſe, nemo ullus eſt, qui ignoret.

III. *Stipendia Viris & Juvenibus doctis ſuppeditata*, de quibus PANTALEO *f*) ſcripſit: *nullam fere per Europam exſtitiſſe Academiam, in qua non* FUGGERORUM *alumni diligentem litteris operam impenderint, & in Viros maximos evaſerint*: de quibus docti illorum temporum Viri g) in *Nuncupatoriis* ſuis grata mente affatim teſtari, minime omiſerunt.

ſus Lector intelliget. Conferri etiam poterit LAMBECIUS in *Comment.* de *Biblioth. Vindobon. T. I. II. VII.*

d) Vide *Nicephorum* GREGORAM à WOLFIO editum, in *Epilog. Byzantin. Hiſtoriæ.*

e) Ut exemplis agam; ex Bibliotheca *Fuggerana* prodiverunt *Zonaras*, *Nicetas Acominata*, *Cedrenus*, *Nicephorus*, *Gregoras*, *Inſcriptiones ſacroſanctæ Vetuſtatis.*

f) In *Proſopographia*, *T. III. p.* 317.

g) Inter *Adoleſcentes*, FUGGERORUM ſingularem munificentiam expertos, nominare mihi licet Laurentium *Gryllum* Medicinæ Doctorem, de quo vide *Annales Academiæ Ingolſtadienſis. T. I.* Hieremiam *Martium* Medicum, cuius *Vitam* in *Alphabeto VII.* meæ *Bibliothecæ* exhibeo. Joannem Ulricum *Rumlerum* Medicum, de quo in *Alphabeto VI. Bibliothecæ* meæ *Auguſtanæ* egi. Georgium Sigismundum *Seldium*, maximi nominis Virum, & S. R. I. Procancellarium, cuius geſta & ſcripta in *Alpha-*

IV. *Vis exempli & adhortationum*, quibus FUGGERI alios Optimates, vel neceſſitudine vel amicitia conjunctos ſibi, ad ſimilia audenda, & patrocinium Muſis præſtandum incitaverunt.

En ſummam *Commentarioli Bruckeriani*; quem hoc loco reſcribere nec libet, nec juvat. Aliâ igitur viâ incedendum mihi eſſe judicans, FUGGEROS & FUGGERAS, quotquot ex hoc nobiliſſimo ſtemmate eruditionem propius ſectati, vel editis in publicum proprio Marte ingenii monumentis ſpectabiles ſeſe orbi erudito fecerunt: vel operibus alienâ curâ in lucem productis, aut aliis modis, ſingularem *Mecœnatum* laudem aſſecuti ſunt, genealogica ſerie commemorabo. Quo in negotio ita me gerere conſtitui, ut principales ſolummodo *Vitæ* illorum *circumſtantias* breviter narrem: omiſſis deinde eorundem politicis ac militaribus laudibus, quas aliis maiore ingenii dexteritate præditis memorandas relinquo, *litterarias* duntaxat multo fuſiore, ac BRUCKERUS fecit, calamo

phabeto V: Biblioth. Auguſt. deſcripſi. Quis reliquorum numerum ineat? In cætu doctorum Virorum, *Fuggerana* liberalitate adjutorum, ſunt *Apianus*, & *Amantius*. David *Hoeſchelius*, de quo vide *Alphabetum VI.* meæ *Biblioth. Auguſt. p.* 36. Cyprianus *Leovitius* Mathematicus egregius. Otmarus *Luſcinius* græce hebraiceque doctiſſimus. Hieronymus *Wolfius* atque Guilielmus *Xylander* celeberrimi Philologi, & quos mox laudatus *Wolfius* in *Nuncupatoria* ad *Zonaram* ipſe appellavit, *Carinus. Tonnerus. Streitus. Siphanus*, & *ſexcenti alii.*

lamo perſcribam. Fietque id à me eò libentius, quod poſt *Joannem* FUGGERUM, qui primus civitatis jura *Auguſtæ* conſecutus eſſe traditur, ex eadem dehinc urbe Gens iſta, per regnum *Germanicum* vniverſum togâ ſagóque inclytiſſima, ad ſummum Reipublicæ eccleſiaſticæ, civilis, ac litterariæ bonum omnis promanârit.

Quôd ipſum ut à te melius intelligatur, Lector benevole! ſcias velim: *Georgium* FUGGERUM *h*), prædicti *Joannis* nepotem, *Jacobi* autem FUGGERI *ſenioris*, annô 1469. morte defuncti, filium reliquiſſe poſt ſe *tres* filios.

MARCUM. RAYMUNDUM. ANTONIUM.

MARCUS, ſtatum eccleſiaſticum amplexus, *Romæ* anno 1511. e vivis exceſſit, ibidemque in Eccleſia *S. Mariæ de anima* Germanorum hoſpitali, ad aram *S. Marci* humatus eſt, addito ſequenti titulo marmoreo:

h) De hoc BRUCKERUS *l. c. p.* 394. in hæc verba ſcribit: *Divitiis & poſſeſſionum multitudine clariſſimus evileſcere fortunæ munera recte cenſuit; niſi animi nobilitarentur & inclareſcerent ingenii theſauris. Itaque totus diſciplinis optimis immerſus, eo rerum uſu & experientia, ea doctrinæ elegantia enituit, ut in aula Maximiliani I. præter nobilitatis axiomata, Conſiliarii dignitatem, & in Curia Romana, favente Leone X. Equitis aurati, Comitisque S. Palatii Lateranenſis ornamenta acciperet, dignus, qui ob condita ptochotrophea & ſtipendia Eruditis deſtinata æternâ famâ viveret.*

HIC JACET
R. D. MARCUS FUGGER
AUGUST. PROTONOT. AC SCRIPTOR APOSTOLICUS,
JURIS DIVINI LICENTIATUS,
RATISPONEN. S. GERMANI ET MAURITII SPIREN.
S. JOANNIS NOVI MONASTERII HERBIPOLEN.
S. STEPHANI BAMBERGEN.
S. PETRI IN PERLACO AUGUSTEN.
ECCLESIARUM PRÆPOSITUS,
ET
S. SEPULCHRI DOMINICI LIGNICEN.
VRATISLAVIENSIS DIOECESIS, ARCHIDIACONUS.
QUI VIXIT ANNOS XXVIII. DIES XXI.
OBIIT XXVII. OCTOBRIS. MDXI.

Fuit teſte KHAMMIO *i*) omnibus naturæ fortunæque bonis cumulatiſſimus; ſed, cum â præſtantiſſimæ utriusque laudis faſtigio *ob divinum, quo pollebat, ingenium* proxime abeſſet, fati importunitate, omnibus lugentibus, in florenti ætate ſublatus eſt.

Liceat mihi paululum vagari, &, ne quid eorum, quæ ad litterariam Gentis *Fuggericæ* gloriam faciunt, prætermiſiſſe arguar, alium MARCUM commemorare, præfato *Marco* tempore quidem anteriorem, dignitate vero parem aut etiam ſupe-

i) In *Hierarch. Auguſt. P. II. Colleg.* p. 280. ubi tamen annus emortualis in mendo cubat.

ſuperiorem. Hic anno 1448. patre *Jacobo ſeniore* genitus, brevi vitæ curſu perfunctus, *Romæ*, non ſine ſuſpicione ſiniſtri accidentis, mortalitatem explevit. Sepultus in dicta Eccleſia *S. Mariæ de anima* non minus honorificum, quam notabile epitaphium accepit ſequens:

HIC JACET
VENERABILIS D. MARCUS FUGGER
DE AUGUSTA,
CANONICUS AUGUSTEN.
B. MARIÆ RATISPONEN. ET S. JOANNIS FRISINGEN.
ECCLESIARUM PRÆPOSITUS, DECRETORUM
LICENTIATUS, MAGISTER REGISTRI SUPPLICATIONUM, SCRIPTOR, ET HUIUS HOSPITALIS
PROVISOR.
QUI ÆTATIS SUÆ XXX. ANNORUM, XXIIII. DIERUM,
OBIIT DIE XIX. APRILIS.
ANNO SALUTIS MCCCCLXXVIII.

Fuit MARCUS hic anno 1474. Canonicus cathedralis Eccleſiæ *Auguſtanæ* à *Sixto IV.* Pontifice maximo nominatus; ſed contra nitente *Capitulo* ab eo Canonicatu, vi *ſanctionis capitularis*, cives Auguſtanos eorumque filios è gremio eius Eccleſiæ excludentis, impeditus; de quo vide KHAMMIUM, *l. c. p.* 258. Confer quoque *Georgii* BRANDEN *Collectanea ſuper Concordatis*, *p.* 41. 42. ubi is in laudem tum huius, tum præcedentis MARCI

ſequentia addit: *Ecce! Quales olim fuerint Germani Curiales. Tales virtuoſi & patriam & mundum illuſtrabant.... Et virtus illorum merebatur, ex Diſpenſatione apoſtolica, tot Præpoſiturarum ac dignitatum eſſe poſſeſſores.*

Verum ut revertar, unde digreſſus ſum, nimirum ad RAYMUNDUM & ANTONIVM ſupra nominatos — Hi ductis uxoribus Gentem *Fuggeranam* propagavêre: quæ, ex eo tempore in duas principales diviſa ſtirpes, adhucdum in Imperio *germanico* effloreſcit. Ob eam rem, ut ordine procedam, primô locô de *Raymundo* & eius Poſteris, ſecundô autem de *Antonio* & Poſteris eiusdem dicam.

Antequam autem ad dicendum aggrediar, etiam iſtud præmonitum te velim, Lector benevole! me, ex immenſa litterariorum, quibus familia FUGGERIANA celebre ſibi nomen peperit, meritorum copiâ, pauca duntaxat (veluti ſpeciminis loco) adducere, ex quibus de reliquis rectum aptumque judicium feras: cùm, omnia adducere quisquis velit, vix dicendi initium, finem vero nullum inventurus ſit.

I.

RAYMUNDUS FUGGER,

POSTERIQUE EIUS:

VIDELICET

1. JOANNES JACOBUS.
2. GEORGIUS.
3. UDALRICUS.
4. SIDONIA ISABELLA.
5. PHILIPPUS EDUARDUS.

FUG-

FUGGER (*Raymundus*)

Georgio patre, matre *Regina Im-Hof* procreatus, primam lucem anno M. CCCC. LXXXIX. die 24. Octobris aſpexit. Is in juventute diverſas regiones obivit, ex quibus cùm, ſingulari linguarum cognitione optimisque artibus præclare eruditus, domum rediviſſet, in *Hungariam*, *Bohemiam*que abiit, Aulam cæſaream ſecuturus. In hac poſtquam aliquanto tempore ſubſtitiſſet, anno ætatis vigeſimo tertio *Catharinam Thurzoniam*, Baronis *à Bethlehemſalva* filiam, *Alexii Thurzonii* regii in *Hungaria* Gubernatoris ſororem, uxorem duxit, celebratis *Cracoviæ* nuptiis ad diem 6. Junii 1512.

Abs *Carolo V.* Cæſare, cui a *Conſiliis* fuit (quod munus etiam apud *Ferdinandum* regem geſſit) in numerum & ſtatum *Baronum* ac *Comitum S. R. I.* adlectus, præclarisque privilegiis donatus fuit. Bona ſua novis prædiis & ditionibus magnopere auxit. Demum naturæ debitum in arce *Mickhuſana* anno Chriſti 1535. die 3. Decembris, ætatis 47. exſolvit, deportatusque *Auguſtam*, in æde *D Annæ* ſepulchro conditus eſt, adpoſito ſequenti Epitaphio:

D. O. M.

RAYMUNDO FUGGER EXIMIA INTEGRITATE, AC MUNIFICENTIA INCOMPARABILI: OPTIMARUM AKTIUM ATQUE RERUM ANTIQUARUM AMANTISSIMO: STUDIOSORUM AC EGENORUM PATRONO ET MECÆNATI UNIÇO: INGENTI RELICTO SUI DESIDERIO MAGNOQUE OMNIUM LUCTU EREPTO V. FILII MOESTISSIMI PARENTI PIENTISSIMO MONUMENTUM HOC P. E. P. MORITUR

ANNO

ANNO SALUTIS 1535. DIE 3. MENSIS DECEMBRIS IN ÆDIBUS MYCONIS, QUAS EX FUNDAMENTO PROPRIO ÆRE CONSTRUXIT, RELATO CADAVERE IN HOC FAMILIAE SEPULCHRUM.

Noſtrum inter Scriptores, *Geometriæ* & cum hac cohærentium ſcientiarum ſtudio celebres, laudat *Jo. Andr.* FABRICIUS *a*). *Bibliothecam*, ab avo conditam, cum fratre *Antonio* incredibili ſumptu ad maximum ſplendorem evexit. Primus *Cimeliarchii Fuggeriani* fundamenta poſuit, inſigni Monumentorum veterum ex *Græcia*, *Aſia minore*, *Sicilia*, *Italia*, *Hiſpania* adparatu comportato *); ex quo ſequentia publici juris facta ſunt:

I. *Inſcriptiones ſacroſanctæ Vetuſtatis, non illæ quidem Romanæ, ſed totius fere Orbis, ſummo ſtudio, ac maximis impenſis terra marique conquiſitæ, feliciter incipiunt. Magnifico Viro D. Raymundo* FUGGERO, *Inuictiſſimorum Cæſaris Caroli V. ac Ferdinandi Regis, à Conſiliis, bonarum litterarum Mecœnati incomparabili Petrus* APIANUS *Mathematicus Ingolſtadienſis, & Bartholomæus* AMANTIUS *Poeta* DED. in *folio. Ingolſtadii, in Ædibus* APIANI *M. D. XXXIIII.*

Quamvis Opus hoc non ex toto *b*) *Raymundo* noſtro in acceptis referri debeat, tam magnam tä-

a) In *Abriſs einer allgemeinen Hiſtorie der Gelehrtheit*, *T. III. p.* 356.

*) Ob hoc ipſum, noſtrô ſeculô, *Petrus* BURMANNUS in *Præfat.* ad *Jani Gruteri Inſcriptiones.* fol. *Amſtelodami.* 1707. debitis laudibus afficere *Noſtrum*, minime intermiſit.

b) Inſeruit namque huic Operi APIANUS etiam ea Monumenta, quæ *Joannes* COLERUS (De hoc egi in *Alphabeto IV.* meæ *Bibliothecæ Auguſt.*) *Joannes Guilielmus à* LAUBENBERG, Eques Suevicus: *Bilibaldus* PIRCKHAMERUS *Norimbergenſis* communicârat, aliaque.

tamen in eo partem habuit Heros noſter, ut nominati duo Editores in hæc verba ſcribere minime dubitârint: *Quid non, quæſo! in hoc Opus erogâſti? Quid unquam abs te vel mihi* (Amantio) *vel* Apiano *petitum eſt, quod non ſumma animi alacritate contuleris, plura daturus, ſi petiiſſemus? Sed ne modum in petendo excederemus, et tua immenſa liberalitate abuteremur, curæ nobis ambobus fuit. Subminiſtrata eſt non tantum pecunia ad excudendum; ſed et benigniſſime, quæ vel terrâ vel marî conquiri procurâſti, collata ſunt*, imo & ſtudiô tuô effigiata. *Atque hoc omne tibi cedere plane volumus, nos non aliud deſideramus, quam, ut cæpiſti, ita nos ambos ames ac diligas.* Tuum *enim eſt, quod in medium produximus:* tua *tibi reddimus, quæ imprimenda demandaſti: pro noſtris laboribus* abunde abs te ſatisfactum eſſe *profitemur. Aſſerimus præterea, nos eſſe* in ære tuo, *&* inter tua nomina. *Hoc noſtrum officium exigeret toti orbi manifeſtum facere; ſi quid eloquentiæ aut rectæ eruditionis in nobis eſſet, quantum virtus tua mereretur*, cuius ſtudio & diligentia ſacroſancta hæc vetuſtatis monumenta in lucem prodierunt. *Atque hanc gloriam non tantum debent vivi, qui ob veterum exempla, quæ hîc legere licet, ad virtutem non melius incendi poſſunt; quam etiam priſci, quorum gloria ob rerum bene geſtarum ſeriem modo reviviſcit &c.*

Iidem Editores, eodemque loco doctrinæ *Noſtri*, eiusque erga Litteratos benevolentiæ ſequens perhibere teſtimonium, nequaquam omiſerunt: *Quæ in te lateat eruditio, quibus præceptoribus à puero uſus ſis, & quantum præſtare omnibus bonis diſciplinis queas, eorum judicio committimus, qui*

quotidie ſuos tibi labores inſcribunt; quod equidem nunquam facerent, niſi et te excellentem eſſe bonis in artibus, *perſpectum haberent. De favore in Doctos omnia plena ſunt.... Nimis longi eſſemus, ſi hic recenſere velimus, quibus muneribus Litteratos exornes: quot quantasque in eos divitias profundas? Qui malis etiam Verſibus nomen tuum onerant potius, quam honorant, nullum à te indonatum dimittis. Quid dicamus de magno illo* ERASMO *c*)? *O bone Deus! Quam amas illum, cum fratre tuo* (Antonio) *Viro prudentiſſimo ac optimo, ut alios taceamus &c.*

Opus hocce *Inſcriptionum* perrarum eſt, uti monent, qui *de Libris rarioribus* commentati ſunt, hosque inter CLEMENT *d*) dicens: *Comme Remond* FUGGER *avoit fourni à P.* APIEN, *& à B.* AMANTIUS *la plûpart de ces* Inſcriptions, *qu'il avoit fait venir à grand fraix de toutes les parties du monde: et qu'il leur avoit même avancé des ſommes aſſez conſiderables, pour mettre cet Ouvrage en lumiere: ils le lui ont conſacré par une belle Epître dèdicatoire... Cependant il ne faut pas s' imaginer, qu'ils fuſſent uniquement redevables de ces* Inſcriptions *au dit* FUGGER, *comme on le debite ordinairement. La fin de cette Epître nous apprends le contraire.... Enſuite viennent les* Inſcriptions *tirées de l' Eſpagne, de la Gaule ciſalpine, de l' Italie, de l' Illyrie, de la Dalmatie, de la Carniole, de l' Allemagne, de la Hongrie, de la Grèque, de l' Aſie, & de l' Afrique. Comme il ya plus de* 200. *ans, que cet Ouvrage a été imprimé; & qu' il n'y en a qu' une ſeule edition: & qu' elle a été faite dans la maiſon*

d'

c) *Roterodamo* nimirum.

d) In *Bibliotheque hiſtorique & critique. T. I. p.* 403.

d' APIEN *&* à *ſes fraix, quoiqu'il ait emprunté l'argent de Remond* FUGGER, *il s'en ſuit, qu'il ne peut pas être commun e).*

II. *Itinerarium, das iſt: Hiſtoriſche Beſchreibung weyland H. Georg von* EHINGERN *Reiſens nach der Ritterſchafft vor* 150. *Iahren in* 10. *unterſchidliche Königreichen vollbracht, nebſt beygefügten Contrafacturen der Potentaten und Könige, an welcher Höfe diſer Ritter ſich begeben, dero königlich Perſonen bedient und beſucht, auch nach ihrer Tracht und Geſtalt eigentlich abmahlen laſſen. Aus Reimund* FUGGERN *Muſæo colligiert, und von Dominico* CUSTODE *in Kupfer geſtochen.* in *folio. Augſpurg.* 1610. Vide *Theſaurum bibliothecalem P.I. p.* 127. ubi Opus *rariſſimum*, et ob elegantes icones magni æſtimandum eſſe affirmatur.

In *Muſæo Mazzuchelliano, ſeu Numiſmatibus Virorum doctrinâ præſtantium, Tom. I. Tab. LIII.* duo occurrunt Numiſmata ad *Noſtrum* ſpectantia. *Primum* de Liberalitate *Raymundi* teſtatur, exhibens

e) Hæc latine ſic reddas: *Quemadmodum R.* FUGGERUS *Apiano & Amantio maximam harum Inſcriptionum per omnes orbis regiones magnis ſumptibus conquiſitarum partem communicavit: immo et pecuniæ ſummam ſatis notabilem ad Opus edendum eisdem ſuppeditavit; ita hi illud pulchra Epiſtola nuncupatoria* FUGGERO *dedicarunt. Interim credas cave, eos ſoli* FUGGERO *has Inſcriptiones acceptas referre debuiſſe, ut plerumque creditur; nam aliter ſe rem habere, epilogus Nuncupatoriæ nos docet... Succedunt Inſcriptiones ex Hiſpania, Gallia ciſalpina, Italia, Illyria, Dalmatia, Carniola, Allemannia, Hungaria, Græcia, Aſia & Africa collectæ. Cum anni plusquam ducenti abierint, ex quo Opus hoc excuſum fuit: cum non niſi ſemel editum ſit, idque ex ædibus, & ſumptu Apiani, etſi is argentum mutuum à* FUGGERO *acceperit, conſequens eſt, illud obvium ac frequens eſſe haud poſſe.*

bens *Noſtri* effigiem cum inſcriptione: *Raymundus Fugger Auguſt. Vind. Ætatis XXXX.* in averſa autem parte *Liberalitatis* ſymbolum conſpiciendum dans cum lemmate, quod ſibi *Noſter* adoptaverat, ſequenti: *Pudeat, Amici! diem perdidiſſe.* Numiſma *ſecundum*, cuius ſignificationem divinare nequeo, repræſentat *Noſtrum* cum inſcriptione: *Raymundus Fugger Auguſt. Vind. Ætatis XXXX.* In averſa parte conſpiciuntur gentilitii quidam umbones, adſcripto lemmate: *Nihil ex omni parte beatum. MDXXX.*

Vitum BILDIUM Cœnobitam *San-Udalricanum*, Virum *Matheſeos*, aliarumque ſcientiarum valde peritum multâ benevolentiâ, una cum fratre *Antonio*, complexus eſt. Unde et *Vitus*, gratam mentem oſtenſurus, quædam ſuorum meletematum *mathematicorum* eidem transmiſit; de quibus vide *Alphabetum I. Bibliothecæ meæ Auguſtanæ*, *p.* 25. 26. Similiter *Otmarus* LUSCINIUS, ſpectatiſſimæ doctrinæ Vir, *Noſtrum* cum fratre *Antonio*, *Pſalterium* linguâ vernaculâ editum dedicando, honorandum duxit. Præterea *Noſtri* munificentiam, aliasque virtutes prædicandas ſibi ſumpſit inſignis Mathematicus, *Martinus* FURTENBACHIUS, qui *Sphæram* ingentem admirandi prorſus artificii (totius Univerſi machinam tam ætheream quam elementarem accuratiſſime exhibentem) quæ inter præcipua *Bibliothecæ Cæſareæ* ornamenta jure ac merito numerata fuit, *Noſtro* dedicans ac offerens, ſequentem eidem epigraphen ſcripſit: *Viro magnifico D. Raymundo Fuggero, invictiſſ. Caroli V. Imperat. & Ferdinandi I. Regis Roman. à Conſiliis, prudentiſſimo, Studioſorum Mecœnati, pauperum Chriſti aſylo cantatiſſimo Martin.*

FUR-

FURTENBACHIUS *Abuſiacus*, *Aſtrophilus*, *typum hunc coſmographicum univerſalem compoſuit atque dedicavit. Anno à nato Chriſto M. D. XXXV.* Hæc quidem LAMBECIUS in *Comment. de Biblioth. Vindoben. T. I. p.* 142. 143. quem vide nouiter editum abs *Adamo Franciſco* KOLLARIO.

I.

FUGGERUS (*Joannes Jacobus*) patre *Raymundo* FUGGERO, matre *Catharina* THURZONIA anno 1516. die 20. Decembris ortus, & præclara parentis veſtigia ſtrenue ſecutus eſt. Itaque, annis auctus, in peregrinas abiit oras, ut animum optimarum artium & linguarum ſcientia excoleret, uſus unà cum fratre *Georgio*, de quo mox dicam, præceptore Chriſtophoro *Hagero* Iuriſconſulto. *Nec contemnendum in litteris profectum feciſſe Noſtrum*, teſtis eſt *Viglius* ZUICHEMUS, qui proin eundem de parentis obitu conſolans vehementer eſt cohortatus, ut *Muſas in omni vita coleret; ſemper litteris aliquid temporis decidere licere; latinæ linguæ ſcientiam ſedula cum Viris doctis exercitatione conſervaret; & ſcribendis latinis litteris amicorum, quos in Gallia vel Italia noſſe cœpiſſet, amicitiam augeret: quod ſplendidæ fortunæ, quæ ei adeſſet, nullum maius ornamentum litteris eſſe queat; ſic mutuam, quam ex liberalibus ſtudiis contraxiſſent, amicitiam inter utrumque ſtatuminandam fore.* V. *Pappendrecht Analecta Belgica. T. II. P. I.* ex quibus etiam diſcimus: *Noſtrum* per ſtudiorum tempora *Bononiæ* cum *Wiguleio* HUNDIO, *Biturigibus* cum *Alberto* BOSCH, præceptore *Alberti Bavari*; & (haud dubie) cum *Joanne Secundo* MARIO familiariter vixiſſe — Sed ad reliqua Vitæ *Noſtri* pergo.

Itaque Patre anno 1535. ſupremis fatis functo, aulam cæſaream ſecutus, anno 1540. die 21. Junii cum *Urſula ab Harrach*, *Leonardi Harrachii* filia, annos 18. nata, nuptias celebravit frequenti admodum Comitum, Baronumque concurſu. Etenim non ſolum quidam Nobilium ad condecoranda Solennia â Regia Majeſtate ſubmiſſi fuerant: ſed etiam ſupremo Aulæ Magiſtro D. *Wilhelmo de Ragendorf* in mandatis datum fuit, ut Paranymphi vices regio nomine obiret. Venit poſthæc *Noſter Auguſtam*, ibique longiori tempore manſit. Fuit *Carolo V. Ferdinando*, & *Maximiliano II.* Imperatoribus â Conſiliis. Anno 1542. vigente adhucdum tribunitio Regimine, in Senatum adlectus, quin etiam inter ærarii publici Præfectos annumeratus fuit, quadriennio poſt (1546.) cum reliquis FUGGERIS *Paſſavium*, quod *fœdus Smalcaldicum* abhorrerent, ſecedens. Anno autem 1548. *Carolo V.* Regimen tribunitium abrogante & Patritiorum Ordini clavum Reipublicæ *Auguſtanæ* poſtliminiò reſtituente, *Conſul* aut (ſi mavis) *Civium Magiſter* renuntiatus: eoque munere per paucos annos geſto, in *Septemvirûm* collegium aſſumptus eſt. Cum apud *Albertum*, Bavarorum Ducem, gratiâ ampliſſima polleret, anno 1559. effecit, ut Civitatis limites, adjecta etiam jurisdictione, extenderentur.

Quinquennio ante, quam hæc geſta ſunt (1554.) *Urſulam Harrachiam* morte ſublatam ſepulchrô, quod ſibi ſuisque in templo Patrum *Ord. Prædicatorum* fieri curaverat, ad diem 18. Septembris condidit addito ſingulari Epitaphio, quod apud PRASCHIUM in *Epitaph. Auguſt. P. I. p.* 82. legere eſt. In huius locum anno 1560. die 4. Martii

Sido-

Sidoniam à Colqus, *Watzlerin* dictam, conjugem duxit. Nuptiali ſolennitati *Auguſtæ* celebratæ Duces *Bavarici*, eorumque uxores interfuerunt. Neque hôc contentus *Albertus* Dux, quo benevolentiam erga *Noſtrum* ſuam teſtatiorem faceret, filiam ex hac ſecunda conjuge à *Noſtro* genitam, *Adelbertam* nomine, e ſacro fonte ipſe ſuſcipere dignatus eſt.

Cum vero pecunias magno cuidam Principi ſubminiſtratas recuperare non poſſet: ſuasque facultates tum in numeroſæ ſobolis (Moriens ex duplici matrimonio *octodecim* liberos in vivis reliquit) educationem, tum in litterarum litteratorumque ſubſidium inſumpſiſſet, accidit, heu! ut res eius domeſtica labaſceret. Ob eam cauſſam ditionibus ſuis, æris alieni facilius diſſolvendi ergò, dimiſſis, & ſenatoria dignitate anno 1565. abdicata, *Auguſtam* linquens, *Taufkircham*, ſitam in *Bavaria* ditionem, quam ſibi unicam ſervârat, ſeſe recepit: utque numeroſæ familiæ ſuæ alendæ eo magis par eſſet, nominati Ducis *Alberti* ſervitiis ſe addixit: â quo non ſolum inter Conſiliarios adoptatus, ſed & Cameræ aulicæ præfectus *a*) fuit. Anno 1572. ſecundam quoque uxorem amiſit, cuius corpus *Auguſtam* revectum in ſacra æde Patrum *Ord. Prædicatorum* requieſcit in monumento, quod â *Noſtro*, adhuc dum vivente, ibi erectum fuiſſe, monere me memini, ſequenti epigraphe:

a) OEFELIUS in *Scriptor. Rer. Boicar. T. II. p.* 470. ſupremum *Conſilii aulici Præſidem* appellat.

D. IMM. S.
JO. JACOBUS. FUGGER.
HUMANÆ. SORTIS. AC. FRAGILITATIS. MEMOR.
VIVUS. MONUMENTUM. HOC.
IN. QUO. CONDI. MORTUUS. VOLUIT.
AD. PERPETUAM. MEMORIAM.
PROPRIO. ÆRE. SIBI. UXORIQUE. PRÆMORTUÆ.
CUM. QUA. ANNOS. XIV. MENSES. II. D. XXVII.
CONJUNCTISSIME. VIXERAT.
CONSTITUIT.
CONJUGISQUE. MONUMENTO. JUNGI. VOLUIT.
UT.
QUOS. VIVOS. IDEM. ANIMUS.
EADEMQUE. SOCIAVERAT. VOLUNTAS.
IISDEM. DEFUNCTIS.
PERPETUÆ. GLORIÆ. ATQUE. HONORIS.
SIMULACRA. ESSENT. UNITA.
CERTA. DIES. NEMINI. MORS. CERTA. CUNCTIS.
INCERTA. POSTERORUM. CURA.
TU. QUI. ES. EGO. FUI. QUI. EGO. SUM. TU. ERIS.
JO. JAC. FUGGER. SIBI. UXORI.
HÆREDIBUSQUE. EORUM.

Ipſe, curis confectus, anno 1575. 14. Julii mortalitatem explevit, habitisque in Eccleſia *S. Petri*, *Monachii*, exſequiis *Auguſtam* reportatus, duabus conjugibus ſuis junctus eſt, impenſas omnes Duce *Alberto* ſuppeditante. Hæc fuere fata *Joannis Jacobi*. Merita autem eius litteraria ſunt, quæ ſequuntur.

Linguas exteras, quas plures didicerat, ita calluit, ut eisdem ad indigenarum invidiam loqueretur. *Græci præſertim ſermonis ac latini multo intelligentiſſimus fuit, eaque ingenii felicitate, a multis ac præſtantibus Viris celebrata, ut, quocun-*

cunque illud intendebatur, valeret ſive in philoſophicis ſive civilibus rebus: eruditione dein tanta, ut, ſi eâ ad oſtentationem uti voluiſſet, facile nomen ſuum poſteritatis memoriæ tradere potuiſſet teſte *Hieronymo* WOLFIO. Reliquit tamen moriens præclarum ingenii ſui monumentum manuſcriptum, de quo infrà. Bibliothecam maximis ſumptibus, præcipue in *Italia*, ſibi paravit, Viroſque ei doctos, e. g. *Samuelem* QUICHELBERGUM *b*) *Belgam* præfecit. In hanc non ſolum omnis generis ſcientiarum libros, ſed etiam quà delineatas, quà ex ære ductas, quà â Viris artis pictoriæ peritis atque ad id conſultò deſtinatis, ad vivum coloribûs expreſſas Conſulum, Dictatorum, Regum, Imperatorumque effigies, nec non aſtrolabia intulit. In hanc aliquot mille arma gentilitia variarum Familiarum & Principum Europæ affabre depicta: præcipuarum per Europam atque adeo Indias Civitatum & Arcium delineationes: ac diverſas Stemmatographias congeſſit. Qui poſtea Theſaurus litterarius, ab *Alberto* Duce coemptus, & in Bibliothecam *Bavaricam*, teſte *Andr. Felic.* OEFELIO *c*) tranſiens, eandem *Græcorum Manuſcriptorum* non contemnendo numero auxit *d*).

Nummophylacio *Boico* curæ ſuæ, dum *Alberto V.* ſerviit, commiſſo magnum incrementum ſuâ diligentiâ attulit *e*). Litteratos vix non immo-

b) V. *Gerhohi* STEIGENBERGER *Verſuch von Entſtehung der Kurfürſtlichen Bibliothek in München*, *p.* 29.
c) *Locô citato*, *T. I. p.* 303.
d) V. STEIGENBERGER, *l. c. p.* 28. *Sic e. g. de Codice græco* ORIBASII Medici, *Joanni* MOIBANO â *Noſtro* communicato, monui in *Alphabeto VI. Biblioth. Auguſt. p.* 154.
e) V. STEIGENBERGER *l. c. p.* 33.

dice fovit, quos inter connumerandus eſt & *Caſpar* BRUSCHIUS, qui *Mecœnati* huic *ſua Michael.* KAZBEGII *Catalogum Abbatum Reichenbacenſium* carmine redditum gratus obtulit *f*). Nonnullos Doctorum ſervitiis quoque ſuis mancipavit: *complures ingenioſos adoleſcentes non ſolum in Germania, ſed in Galliis etiam ac Italia ſuis ſumptibus benigne fovit ac ſuſtentavit, Raymundi patris ac patrui ſui Antonii exemplum ſapienter imitatus.* Ita *Noſtri* & ceterorum *Fuggerorum* liberalitate D. *Seldius* (quod monui) *S. R. I.* Vice - Cancellarius: ita D. *Mechelius* Vice - Cancellarius *Bohemiæ*: ita D. *Dannerus*, *Rudolphi II.* Imperatoris quondam Ephorus creverunt.

Hinc nemini mirum videri debet, quod viciſſim Viri litterati ampliſſimas laudes in *Noſtrum* contulerint. *Elias* REUSNERUS ut *verſatum in omni diſciplinarum genere, Muſarum & Litteratorum unicum aſylum, mecœnatemque* prædicat. *Laurentius* GRYLLUS, in *Oratione de Peregrinat. ſtudii medicinalis*, quæ *Libris* eius *II. de Sapore &c.* adhæret, *Virum virtute, ingenio, & prudentia longe feliciſſimum, & certe nunquam ſatis laudatum vocat*, addens: *ſe ab eo maximis beneficiis provocatum, & jatricæ ſcientiæ penitius addiſcendæ gratiâ per totam Italiam, Britanniam & Germaniam univerſam integro fere ſeptennio docta peregrinatione fungentem ſumptu non vulgari ſuſtentatum fuiſſe.* IMHOFIUS *h*) *ſummum Muſarum patronum, omniumque liberalium ſtudiorum auctorem & admiratorem* vocat. LAZIUS *i*) exi-

f) V. OEFELIUM *l. c. T. I. p.* 401.
g) In *Oper. Genealog. Auctario.* 1592. *Francofurti.*
h) In *Notitia Procer. Imperii*, in *folio.*
i) In *Dedicatione* ad Opus: *De Migrationib. Gent.*

eximiis *Noſtrum* laudibus efferens inter alia ſcribit: *Iam ad te noſtra convertatur oratio*, Joannes Jacobe *inclytiſſime! cuius quidem generis ampliſſimi non ſolum in bonas litteras merita, verum adeo in Romanum Imperium & Auſtriadum domum collata, afflictis Europæ rebus, optimus quisque ſcit & meminit, atque malevoli quoque fateri coguntur. Quod cum vobis omnibus de Gente veſtra ex innata quadam propenſione hæreditarium exſiſtat: tum in te præ ceteris reſplendent ea omnia animi & naturæ bona; ut, ceu ſolis radii inferiora omnia illuſtrant, ita tuis præſidiis, liberalitate, ac plane in litteras pietate illumines eorum, qui de litteris (in tanto illorum odio) benemerentur, animos caligine huius ingrati ſæculi preſſos: latitantes educas: timidos erigas: pigros ſtimules: ac (breviter) vitæ ſubſidiis deſtitutos tu ſolus ſuſtineas, ac tuis ſubinde fortunæ bonis impleas.... Quô fit, ut in ſtadio omnes qui currimus: qui vel litteras Scriptis colimus: vel vetuſtos Scriptores ab oblivione vindicamus, deperditosque inquirimus, atque â ſitu reducimus: denique qui nodos intricatos in his auctoribus, qui nobis beneficiô talium Mecœnatum extant, ſolvimus: ad te unum* Joannes Jacobe! *tanquam ad ſcopum tendamus: tibi uni, tuôque judicio, quod habes in omnis generis ſcientiis limatiſſimum, noſtras vigilias perlubenter quisque offeramus* &c. &c. &c. *Hieronymus* WOLFIUS *Noſtro* non tam quà Mecænati, quam quà *Judici*, & *pro ſui ingenii excellentia ac eruditione exquiſita Cenſori* DEMOSTHENEM ſuum obtulit. WOLFIO ſe junxit LOESCHERUS. Sed cur laudes, quas is *Noſtro*, *Pauſaniam* anno 1550. dedicando ſcripſit, reſcribam? *Felix Andr.* OEFELIUS *k*) Noſtrum, *Bavariæ ſive*

 libro-

k) *Locô citatô*, *T. I. p.* 149.

librorum, ſive antiquitatum, elegantiarumque theſauri ſpectentur, PEIRESCIUM *l*) appellat, addens: eum quondam præceptore *Joanne* HASENBERGIO *) uſum eſſe. Vix còntinere me queo, quin totam hôc locô ſubdam *Dedicationem* ad *Enarrationes doctiſſimorum Virorum in omnes Ciceronis Orationes* in *folio*, utpote in qua *Joannes* OPORINUS doctus Typographus *Baſileenſis* totus in *Noſtri* laudes ſeſe effudit. At hoc â me fieri cum præſentis *Voluminis* anguſtiæ prohibeant; paucula tantum inde delibâſſe ſuffecerit. Itaque OPORINUS teſtatur: *Noſtrum in adoleſcentia Latinarum litterarum, & Juris civilis doctrinam non modo facile percepiſſe; ſed et apud exteras nationes diverſarum gentium linguas ſic addidiciſſe, ut reliquæ doctrinæ ſtudium non ſolum non impedirent, ſed juvarent atque exornarent. In Bibliotheca Noſtri* ſubdit idem, *innumera tum vetuſta, tum recentia: tum ære expreſſa, tum deſcripta manu volumina, Hebræa, Chaldæa, Arabica, Græca, Latina, Italica, Gallica, Germanicâ, Hiſpanica, ſacra & profana, nullo Scriptorum genere repudiato, elegantiſſimo quoque ordine digeſta, ſervata fuiſſe; quod Noſter recte cenſeret: nullum librum tam eſſe malum, quin prodeſſe alicubi poſſit: et è copia quidem, acri judicio adhibito, facile delectum optimorum haberi poſſe: in penuria verò nullo modo poſſe.* Denique monet OPORINUS: *dictarum* Enarrationum *editionem, & omnis inde ad eloquentiæ ſtudioſos proventuri fructûs gratiam Heroi noſtro deberi, qui ſolus, quod ab Oporino egregie cæptum fuit, ſed per temporum difficul-*

l) Proh quantum nomen! Huic *Noſtrum* comparans OEFELIUS verbô omnia dixit.

*) De *Haſenbergio* videri poterit JOECHERN in *Gelehrten-Lexicon.*

cultatem & publicam rerum calamitatem interceptum atque extinctum jacuit, ut ad propoſitum finem perduci poſſet, auctor atque adjutor exſtitiſſet &c. &c.

Non ſolùm litteratorum Virorum labores ſuſpexit *Noſter*, admiratus eſt, atque adjuvit; ſed (ut erat *Hiſtoriæ*, *Genealogiæ*, *Heraldicæ* & ſtudioſſimus & doctiſſimus ſuo Marte ſplendidum Opus ſequens ſcribere conſtituit, annoque 1555. feliciſſime conſúmmavit:

I. *Wahrhafftige Beſchreibung zwaier in ainem der alleredelſten, uralten und hochlöblichen Geſchlechten der Chriſtenheit*, *des* Habſpurgiſchen *und* Oeſterreichiſchen *Gebliet*, *ſambt derſelbigen lobwirdigen herkhomen*, *Geburten*, *Leben*, *Regiment und Ritterlichen Thaten*, *von dem Anfang biſs auff die Unüberwindlichſten*, *Groſsmechtigiſten Fürſten und Herren Herren* Carolum *den* Fünften *und* Ferdinandum *den* Erſten, *RömiſcheKaiſer und Künig*, *auch recht ordentlich erwelte und gekhrönte Obriſte Häupter der Chriſtenheit*, *durch den Wohlgebohrnen Herren* Hannſs Jacob FUGGER, *baider hochgenannten Römiſchen Khaiſerlichen und Khüniglichen Majeſtäten Rath*, *auch Herren von Kirchberg*, *Weiſſenhorn und Pfierdt*, *nit on khlaine miehe*, *und uncoſten nach Stammens Gerechtigkhait auff das getreulichiſt und fleiſſigiſt*, *ſo immer müglich*, *mit ſeinen Wappen und Figuren gezieret*, *zueſamen gezogen*, *und in diß* Werck der Ehren *beſchlieſslichen gebracht* Anno 1555.

Khommet her, und beſchauet die Wunderwerkh des Herren. *Pſalm.* 46.

Ita titulum *Operis manuſcripti* effert Liber: *Merkwürdigkeiten der Dresdenſchen Bibliothek. T. I. p.* 25. ſeu potius Auctor eius Libri, *Joannes Chriſtianus* GOEZE: quem maxime ſequi placet; quod

Exemplar, ab eo deſcriptum, ipſum *Autographum Fuggerianum* eſſe credatur. Hoc vidiſſe ſe inter Reliquias *Saxoniæ Ducis & Domini Præſulatûs Cizenſis*, illudque olim *Ferdinando* Archiduci ſatellitis perfidia ſurreptum aliquot mille aureis â Principe, harum rerum perito, amatore ac cultore, redemptum fuiſſe teſtatur *Joannes Petrus* LUDEWIGIUS *m*). Ex Bibliotheca *Cizenſi* in regiam *Dreſdenſem* migravit. D. GOEZE etſi Exemplari, â ſe deſcripto, *Autographi* prærogativam derogare minime voluit, tamen pro certo habere ſe profitetur, eandem prærogativam Exemplaribus *Cæſareæ Vindobonenſis Bibliothecæ* â LAMBECIO *T. II.* & *Marq.* HERRGOTTO *T. I. Prolegom. VIII.* recenſitis convenire: nec dubio locum eſſe, quin vel FUGGERI ipſius, vel Archiducum *Auſtriæ* tum viventium juſſu plura Exemplaria confecta fuerint. Addit: Exemplar *Dreſdenſe* in *charta regali*, magnoque *folio* ſcriptum ex duobus prægrandibus Tomis, corio nigro tectis, conſtare, & *triginta* circiter *millia* Inſignium, Sigillorumque continere. Invenitur quoque idem *Opus* in *Bibliotheca Bavarica*, teſte *Gerhoho* STEIGENBERGER *n*) qui & ipſe in eo eſt, ut ſuo exemplari *Autographi* dignitatem arroget.

Utcunque ſe iſtud habeat; Auctorem *Joannem Jacobum* FUGGERUM noſtrum ob hoc *Opus* magnis laudibus efferendum ſibi Eruditi poſterorum temporum cenſuerunt: etſi notent, ambages illum hinc inde amaviſſe, et extra oleas vagatum eſſe. GUNDLINGIUS *o*) ait: *In eo opere ineſſe egregia*

m) In *Præfat.* ad *Reliquias MSStorum. T. I. p.* 99.
n) *Loco citato*, *p.* 30.
o) In *Hiſtoria der Gelehrtheit*. p. 2335.

gia documenta, domûsque Auſtriacæ arcana omnia contineri; ad hiſtoriam Germanicam illud magnopere facere. STRUVIUS *p*) affirmat: *Inſigne Opus eſt, atque ad Caroli V. tempora usque deductum; ex quo plenior hiſtoriæ Auſtriacæ notitia hauriri poteſt. Ambages tamen amat, & excurſus Lectorem avertentes. Præſtat autem in Genealogia particulari ſingulorum Imperatorum domûs Auſtriacæ, quam inſeruit, atque in Heraldica; dum Inſignia Domûs, familiarium nobilium atque illuſtrium ubique annotavit.* D. GOEZE *ſplendidum precioſumque Opus* vocat, etſi ambages eius improbet, & creditam à *Noſtro* Domûs Auſtriacæ ex Francorum Regibus originem neget. Quod verò HERGOTTUS pertendit: *exiguæ fidei eſſe Opus, eoquod neceſſariis documentis deficiat*, hoc de mox memorata *Genealogia* intelligendum eſſe monet idem D. GOEZE; cùm ſaltem à temporibus *Rudolphi I.* documenta magno numero occurrant. *Paulus* AMBERGER *q*) *ſplendidum Opus* appellat, *& magno in pretio Eruditis eſſe* affirmat. LUDEWIGIUS *r*) *Noſtri ſedulitatem in colligendis Diplomatibus, ad hiſtoriam Auſtriacam attinentibus*, prædicare non omiſit.

Denique poſt unius (& quod excedit) ſeculi ſpatium Opus iſtud, typîs impreſſum, erudito orbi dedit *Sigiſmundus à* BIRCKEN *Comes Palatinus cæſareus* hoc titulo:

Spiegel der Ehren des höchſtlöblichen Kayſer- und Königlichen Erzhauſes Oeſterreich, oder ausführliche Geſchicht-Schrifft &c. &c. mit Kayſers Rudol-

p) In *Bibliotheca hiſtorica*, p. 1048.
q) In *Diſſertat. II. De Merit. Reipubl. Auguſt. in Rem litterar.* p. 47.
r) *Locô citatô.*

Rudolphi I. Geburts-Iahr 1212. *anfahend, und mit Kayſers Maximiliani I. Todes-Iahr* 1519. *ſich endend. c. fig. Nürnberg.* 1668. in *folio.*
Dicavitque *Leopoldo* & *Margaritæ* Auguſtis.

Nolo te de hac editione pluribus detinere, Lector! quia exiguam abs Eruditis gratiam inde retulit Editor. Optarunt namque multi, hoc *Speculum* datum fuiſſet tale, quale FUGGERUS poſt ſe reliquit. En judicia eruditorum Virorum! LUDEWIGIUS *s*) illud *Birckenii cothurnis depravatum* fuiſſe dolet. *Felix Andr.* OEFELIUS *t*) affirmat: *Birckenium Opus limâ perdidiſſe, et (quod peius) dominantium arbitrio truncaſſe, ſibique Exemplar genuinum præ oculis & manibus eſſe.* In eandem ſententiam ſcribit citatus paulo ante LUDEWIGIUS in *German. princip. L. I. c.* 6. Neque temere hoc ſcriptum fuiſſe abs Eruditis, confirmant D. GOEZE, & KOLLARIUS. *Prior* ait *u*): *Birckenianam* editionem abs Manuſcripto *Dreſdenſi* tantum diſtare, quantum à terra cælum diſtet: & ab Autographo, præcipue quoad Heraldicam, quam longiſſime abeſſe. *Poſterior x*) Deſcriptionem pugnæ *Granſeenſis* a *Carolo pugnace* cum *Helvetis* commiſſæ, ſeu verius *Clenodiorum* abs *Carolo* in illa pugna amiſſorum longe aliam, quam in Opere *Birckenii* impreſſo habetur, exempli gratiâ affert.

II. *Epiſtola ad Damianum* à GOES eruditiſſimum Equitem *Luſitanum*, data â *Noſtro* anno 1542. die 8. Maii, ex *Auguſta*, repperitur in Opere rariſſimo: *Hiſpania illuſtrata, ſive Rerum, Urbiumque Hi-*

s) *Ibidem.*

t) *Loco citato, Tom. II. p.* 470.

u) In *Merckwürdigkeiten der Dresdenſen Biblioth. T. I. p.* 26.

x) In *Analect. Vindobonenſ. T. I.*

Hiſpaniæ, *Luſitaniæ*, *Æthiopiæ*, *& Indiæ Scriptores varii.* fol. *Francofurti.* 1603. *Tom. II. p.* 828. Amicè *Noſter* monuerat *Damianum*, cur in *Sebaſtianum* MUNSTERUM tam acriter ſtomachatus eſſet? Nimirum ignorabat, priùs MUNSTERUM gravia, in *Coſmographia*, convitia adverſus *Hiſpanos* effudiſſe. De hoc admonitus à *Damiano Noſter* in præſenti *Epiſtola* miratur, *Münſterum*, qui in illo regno nunquam peregrinatus eſſet, ſed ne illud vidiſſet unquam, tam atrocia, falſa, ineptaque ſparſiſſe in vulgus. Nunciat poſthæc: ſe *Manuſcriptum Luſitanicum*, quod *Damianus* apud *Conrad.* PEUTINGERUM *y*) celeberrimum & doctiſſimum Jureconſultum *Auguſtæ* viderat, ſibique communicari optabat, ſe ab eodem accepiſſe quidem, *ſed ea lege, ne cuidam oſtenderet, neque reſcribi faceret*: omnia tamen periclitaturum ſeſe, ut *ab homine decrepito, antiquitatis et raritatis ſtudioſo, qui ob eam cauſſam Libro non intellecto delectaretur, quod præter ſe neminem habere credat, eundem eliciat &c.*

III. *Epiſtolas manuſcriptas Noſtri* in Bibliotheca *Kraftiana* extitiſſe, monuit *J. G.* SCHELHORNIUS *z*).

y) Huius Viri *Vitam*, ſingulari libro deſcriptam, anno 1783. *Auguſtæ*, in 8o. vulgavi. Confer etiam *Alphabetum* II. *Biblioth.* meæ *Auguſt.* pag. 114.

z) In *Amœnit. litterar. T. III. p.* 116.

2.

FUGGER (*Georgius*) frater præcedentis *Jo. Jacobi*, parentes habuit *Raymundum* & *Catharinam Thurzoniam.* Natus eſt autem anno 1517. die ultima Decembris. Poſtquam in patria & *Ingolſtadii* bonis artibus operam impenderat, in *Galliam*, *Italiam*, *Hiſpaniam* iter fecit. *Belgium* quoque &

Bohe-

Bohemiam acceſſit, ſtudiorum ſocio *Georg. Sigiſmundo* SELDIO, præceptore (quod ſupra monere me memini) *Chriſtoph.* HAGERO uſus. Anno 1542. die 28. Novembris *Tridenti* nuptias cum *Urſula Liechtenſteinia* celebravit. Anno 1548. in Senatum patrium adſcitum eſſe, ſed ex eo anno 1553. iterum deceſſiſſe invenio. Eundem exercitiorum equeſtrium expertiſſimum, miræ inſuper fortitudinis atque agilitatis, adeo ut armatus in grandem equum ſine ſtapedum adminiculo inſiliret, fuiſſe dicunt, quotquot de illo memorarunt.

Anno 1549. cum *Antonio* WELSERO, Civitatis *Auguſtanæ* nomine, in occurſum *Philippi* filii *Caroli V. Oenipontem* usque miſſus, et a dicto Principe clementiſſime exceptus fuit. Monumentum ſepulchrale ſibi legit in æde *SS. Udalrici & Afræ*, Sacello autem *S. Georgii*, addita ſequenti epigraphe:

GEORGIUS FUGGER, MEMOR HUMANÆ SORTIS, SIBI, UXORI, HÆREDIBUSQUE HOC MONUMENTUM F. C.

Obiit annô 1569, die 25. Auguſti; illum decennio poſt moriendo ſecuta uxor *Bulſani* in *Tyroli*, & revecta *Auguſtam* in eodem tumulo requieſcit.

Studiis, præcipue mathematicis, perpetuo deditus fuit Noſter, *ita ut abditiſſima quæque in univerſa natura perveſtigaverit: ſubtiliſſima multa de umbris, aquis, ignibus, magnete, aliisque naturæ arcanis inquiſiverit, ſibique conſcripſerit. Hinc nil mirum, quod Petrum* APIANUM *ſumma benevolentia*, patris ad exemplum, *proſecutus ſit, & Cyprianum* LEOVITIUM *Aſtrologum celeberrimum in ædibus ſuis annos quatuor ſuſtentaverit, Tabulasque*

quæ ſupputationum & præclara alia multa confecerit. Hæc PANTALEO in *Proſopographia*, *T. III. p.* 434.

Atque per iſtud circiter temporis ſpatium accidiſſe credo, quod LEOVITII *Deſcriptio & Pictura Eclipſium omnium ab anno Domini* 1554. *usque in annum* 1606. *ad meridianum Auguſtanum ſupputata.* in *folio.* 1556. Eiusdémque *Opus Ephemeridum ab anno Domini* 1556. *usque in annum* 1606. *computatum &c. &c.* in *folio.* 1557. ab *Philippo Ulhardo*, Typographo *Auguſtano*, magnifice excuderentur. Et in fronte quidem Operis *de Eclipſibus* LEOVITIUS ſcribit ſequentia: *Poſtremò anno* 1551. *die ultimo Auguſti Eclipſis accidit ſolis . . . quam ego Auguſtæ Vindel. una cum generoſo ac magnifico Viro Georgio Fuggero . . . patrono Studioſorum benigno vidi, qui rerum mathematicarum, aliarumque liberalium artium valde peritus: cui quoque obſervationi interfuit Vir omni virtutum genere ornatiſſimus Jo. Bapt. Hainzelius cum Hieronymo Wolfio, homine in Græcis & Latinis doctiſſimo.* Sed pertexere juvat, quæ PANTALEO de *Noſtro* ſubjicit: *Bibliothecam philologicis, medicis, architectonicis, aliisque libris refertam collegit, eiusque Catalogum ſummo ſtudio conſcripſit, ut ſolus* GESNERIANÆ *a*) *Bibliothecæ indicem locupletaſſe videri poſſit. In omnibus pulcherrimis ſtudiis adhibuit ad colloquium doctiſſimos Viros, quibus eius domus nunquam vacare viſa eſt.* Cumque uxor *Urſula Liechtenſteinia b*) educationis curas cum viro im-

a) Ex his colligo, *Noſtrum* ad *Conr.* GESNERI *Bibliothecam Scriptorum omnis generis* complendam minime ſpernenda additamenta paraviſſe.

b) Non *Catharina Thurzonia* (uti male habet PANTALEO) quæ mater fuit *Georgii* noſtri, nequaquam uxor.

impigre partiretur, effectum eſt, ut ex hac diſciplina etiam fœminæ, ab eruditione multum commendandæ, nominatim *Sidonia Iſabella*, de qua inferius ſermo habebitur, rarô ſed plane nobili exemplô, prodierint.

Matheſeos aliarumque artium ſcientiam in *Noſtro* prædicavit quoque *Joann.* SCHROETERUS *Vinarienſis*, dum eidem anno 1551. *Viennæ* excuſas *Diſputationes* ſuas *tres medicas* ſacravit, dicens: *Cum.. ex Italiæ ſtudiis ad uxorem, liberosque meos chariſſimos Viennam redirem, Vir optimus Michael Meule, qui Excellentiæ tuæ, ac inclytæ veſtræ familiæ negotia apud nos adminiſtrat, mihi multa de virtutibus tuis*, ac ſingulari in optimis artibus profectu, excellentique earum cognitione, mathematicarum maxime, *narrabat.* ROTMARUS in *Annal. Academ. Ingolſtad. T. I. p.* 241. *ſummum, dum viveret, Matheſeos patronum* appellat.

Atque hac ratione *Noſter* hortamenta Viri ſibi amiciſſimi, *Viglii Zuichemi*, ſedulo exſecutus deprehenditur: qui, dum *Noſtrum* de duplici jactura tum præceptoris ſui Chriſtoph. *Hageri*, tum parentis optimi *Raymundi*, datis anno 1536. 1. Martii *Spiræ* litteris conſolatus eſt, ſimul ſtimulos addere non omiſit, ut ne *ullo caſu pulcherrimum ſtudiorum curſum interrumpi pateretur; cum jam eos profectus feciſſet, ut privata inſtitutione illi haud adeo multum opus eſſet, publicis vero doctoribus Italica Gymnaſia abundarent: ut latine loquendo ſcribendoque paratam facultatem ſemper retinere ſtuderet: nec ullam diem abire pateretur, quo non temporis aliquid egregii alicuius Scriptoris lectioni impenderet.*

UDAL-

3.

FUGGERUS (*Udalricus*) frater germanus præcedentium *Joannis Jacobi* ac *Georgii*, iisdem (quod conſequens eſt) parentibus annô 1526. die 20. Aprilis natus eſt, tum fatorum *a*) adverſitate: tum ſcientiarum amore, benevolentiaque erga Eruditos memorabilis: de quo complures Auctores ſcripſerunt, etſi haud omnes ſatis accurate.

Hic annis auctus in Academia *Ingolſtadiana*, alibique ſtudiis vacavit, eundem ob finem in exteras quoque regiones miſſus. *Paulo III.* Pontifici maximo â *Cubiculo* fuit; ſed poſtea ad *Proteſtantium* caſtra tranſivit, et domicilii *Auguſtani* pertæſus *Heidelbergam* ſe contulit, ubi in Aula *Palatina*, quod vitæ erat reliquum ſpatium transegit.

Litteraria *Noſtri* merita tum multa ſunt, tum inſignia. In remunerandis et adjuvandis Eruditis *b*) magnam facultatum ſuarum vim inſumpſit. In priſcis Auctoribus ê tenebris atque carioſa caligine foras producendis eximiam operam collocavit, idque eò felicius; quod Bibliothecam locupletem conſtruxiſſet, redemptis magno ære Codicibus MSStis. notæ optimæ, in quam numeroſam etiam ſelectamque *Ach. Pirmin.* GASSARI Bibliothecam intulit: et de qua magnifice teſtari in hæc verba

a) Vide GASSARUM in *Annal Auguſt.* ad annum 1562.

b) Quantùm e: g: ſtudia RUMLERI Medici, unà cum *Antonio*, adjuvarit, diſces ex *Alphabeto VI. Biblioth.* meæ *Auguſtan.* p. 127. Quomodo PAUSANIAM â SYLBURGIO publicari curaverit, intelliges in *Catalogo Operum* XYLANDRI. *No. XXI.* de quo vide *Alphabetum VII.* meæ *Bibliothecæ*.

ba non intermiſit MORHOFIUS *c*): *Bibliothecæ Heidelbergenſis pretium ab Ulrici* FUGGERI *liberalitate crevit, quæ, cùm primum ab Ottone Henrico dedicata fuerit, aucta eſt egregie, ſub Friderico IV. huius Viri acceſſionibus, ut facile libris manuſcriptis, hebraicis, græcis, latinis, & quidem potiſſimâ ſui parte authenticis, omnem provocaret Europam, teſte Jano Grutero (is enim ſub nomine Gualteri latet) L. II. Chronic. Chronicor. politic. ubi Academias recenſet, pag.* 1257. *Idemque L. II. Chronici eccleſiaſtici, pag.* 1316. *ait: Ulricus* FUGGERUS *Raymundi filius, litterarum litteratorumque admirator unicus, Palatinatui præter inſignem Bibliothecam, mille aliquot Voluminibus MSStis, græcis, latinis, hebraicis ſpectatiſſimam, quindecim aureorum Rhenenſium legavit millia alendis quinque* (alii ponunt ſex) *Studioſis deſtinata.* Inter alios *Henricum* STEPHANUM, Religionis ergò patriâ extorrem, longiori temporis ſpatio apud ſe habuit, ſtipendioque annuo ſublevavit teſtante eodem MORHOFIO *d*), tum huius, tum etiam *Henrici* SCRIMGERI, uti *Paulus* AMBERGERUS *e*) monet, in edendis Veterum Scriptis operâ ſtrenue uſus. Hinc etiam STEPHANUS in nonnullis Librorum â ſe cuſorum titulis ſeſe *illuſtris Viri Huldrici Fuggeri typographum* nominare non omiſit.

Mecænatem tantum viciſſim Litterati, ingeniorum ſuorum partus ei dedicando, quam maxime cohoneſtare adniſi ſunt. In cuius rei exemplum duos adduxiſſe ſufficiet. Prior eſt *Achilles Pirmi-*

c) In *Polyhiſtore T. I. L. I. C. IV.* §. 17.
d) *Ibidem, T. I. L. I. C. VII.* §. 27.
e) In *Diſſertat. II. de Merit. Reipubl. Auguſt. in rem litterar. p.* 47. 48.

Pirminius GASSARUS, qui, quem *Noſtri* in gratiam collegerat *Catalogum Regum omnium, quorum ſub chriſtiana Profeſſione per Europam adhucdum regna florent*, eiusdem etiam nomini anno 1554. inſcripſit *propter raras, quas in Noſtro ſubinde expertum ſe profitetur, virtutes, cumprimis autem, quod eum arduioribus negotiis ſæpiſſime aptiſſimum fore cenſeret, tum etiam gratitudinis conteſtandæ ergo* Alter eſt *Hieronymus* DONZELLINUS, Philoſophus, & Medicus *Brixianus*, qui *Themiſthii Euphradæ Orationes octo* anno 1559. vulgans tum *Fuggeranam* Gentem univerſim, tum privatim *Udalricum* noſtrum ita dilaudavit; ut ſequens eius elogium omnium locô eſſe queat:

„ Ideo cum ego hunc qualemcunque induſtriæ „ meæ partum in lucem editurus circumquaque „ aſpicerem, ex infinito propemodum præſtantiſ„ ſimorum atque illuſtrium Virorum numero te „ unum, ſapientiſſime Vir ac nobiliſſime! potiſſi„ mum delegi, cui illum offerrem ac dedicarem: „ idque ut facerem, plurimæ rationes, eæque ho„ neſtiſſimæ, me impulerunt. Gratiam enim ac „ ſplendorem meo huic Libro apud omnes com„ parandum in primis eſſe, exiſtimavi, nec quen„ quam in me ita iniquum fore arbitror, à quo „ mihi hoc vitio verti poſſit. Sed quanam alia „ meliori aut commodiori ratione id a me potuit „ obtineri, quam ſi clariſſimum *Huldrici* FUGGE„ RI nomen in ipſo ſtatim Operis titulo conſpice„ retur? Siquidem ego nunquam eorum judicia „ probavi, qui in ſcriptis ſuis nuncupandis ſolam „ generis nobilitatem ac decus ſibi ſpectandum „ putant, interim nihil ſolliciti, an ab iis, qui„ bus ſunt deſtinata, aut intelligi aut judicari

„ poſſint. Atque ideo utrumque mihi proponen-
„ dum duxi; quod ſane, quam difficile ſit, ſimul
„ invenire, omnes norunt. At quantò hoc ra-
„ rius eſt ac difficilius, tanto laudabilius ac dig-
„ nius exiſtimandum. Si igitur generis claritas
„ ac decus a me fuit expetendum, FUGGERI no-
„ men eſt ampliſſimum, et cuius luce meus Li-
„ ber ſatis illuſtrari, atque hominibus commen-
„ dari poſſit. Quid enim frequentius jam audi-
„ tur, non in *Germania* tantum, ſed per totam
„ etiam *Europam*, quam FUGGERORUM nomen?
„ Ac merito illud quidem. Jamdudum enim ſum-
„ mam D. O. M. in ſe benevolentiam ea familia
„ experitur, cui ſcilicet omnia ſimul bona (et
„ animi, et corporis, et fortunæ) eius benigni-
„ tate largiter ſint conceſſa. Nam (ut ſummas
„ ac luculentas eius opes omittam, a quibus ta-
„ men non mediocriter eſt laudanda, cum non
„ niſi magnis atque eximiis animi atque ingenii
„ viribus, ac divina quadam providentia aut com-
„ parari aut retineri poſſint) juſtum potius ac le-
„ gitimum earum uſum egregiis certe laudibus ef-
„ ferre omnes debent. Quid vero præclarius,
„ aut homine dignius, quam inopum, pauperum,
„ ac miſerorum humilem, abjectam, ac prope de-
„ ploratam fortunam alere, fovere, ac ſuſtentare?
„ Quod certe laudis genus vobis eſſe peculiare,
„ ptochotrophia, orphanotrophia, gerontocomia,
„ ac noſocomia, magnis ſumptibus a veſtris Majo-
„ ribus erecta, atque extructa, et a vobis inſtau-
„ rata ac conſervata abunde teſtantur: quæ cer-
„ te veſtræ pietatis ac beneficentiæ perpetua erunt
„ monimenta. Sed nulla etiam eſt aut in *Italia*,
„ aut in *Gallia*, aut in *Germania* celebris Aca-

„ demia,

„ demia, in qua non aliqui ſint optimæ indolis „ juvenes, qui veſtra liberalitate bonarum artium „ ſtudiis incumbant. Et hæc ſane facta æternam „ vobis famam ac gloriam merito conciliabunt. „ Porro autem cum ille, qui olim *Hieroſolymæ* „ rex, ſapientiæ ſuæ celebritatem per orbem uni- „ verſum propagavit, ſingulare illud Dei munus „ eſſe conſtituerit, ſi, quibus divitiæ atque opes „ ſuppetunt, illis etiam potiantur: hoc quoque „ vobis minime deeſſe, facile is confitebitur, qui „ ædes veſtras, atque ſplendidiſſima palatia; qui „ amæniſſimos, ac omni voluptatum ac delitia- „ rum genere affluentes hortos; qui equos lectiſ- „ ſimos, ac pulcherrimos ſub mundiſſimis tectis „ eleganter diſpoſitos; qui famulitium frequentiſ- „ ſimum; qui aſſiduum doctorum hominum ſatel- „ litium; qui denique magnificos apparatus, ac „ ſumptus quotidianos fuerit contemplatus: ut, „ quot quis FUGGEROS videat, tot ſe Principes „ atque Heroas: et qui ſingulorum familias, tot „ ſe aulas magnificas ac lautiſſimas videre arbi- „ tretur. Quid vero de Cæſarum, Regum, ac „ Principum potentiſſimorum gratia et favore di- „ cam, cum omnibus ſit notiſſimum, veſtram fa- „ miliam non tantum ſumma eorum benevolen- „ tia lætari, ſed ob excellentem rerum cogniti- „ nem et ſingularem in tractandis negotiis animi „ dexteritatem conſiliis etiam, et gravibus de Re- „ publica deliberationibus intereſſe? Unde etiam „ merito factum eſt, ut nobiliſſimæ atque illuſtres „ in *Germania* familiæ veſtram olim affinitatem „ expetiverint, et quotidie etiam expetant.

„ Nihil igitur in tuo cognomine a me ſplen„ doris aut claritatis deſideratur, *Ulrice*! In tuo „ vero privatim nomine excellens ſapientia cum „ prudentia atque omni virtutum choro elucet. „ Sciunt enim omnes, antiquorum ſapientum mo„ re, longinquas te peregrinationes ſuſcepiſſe, ac „ non tantum in *Germania*, ſed et in *Italia* et „ *Gallia* celebres omnes academias acceſſiſſe: et, „ ubicunque fuerunt Viri doctrina præſtantes, op„ timis literis ac præceptoribus (magnis labori„ bus ac vigiliis, et, quod nobis maxime dolen„ dum eſt, cum magno tuæ valetudinis detri„ mento) ſtrenuam operam dediſſe: ex quibus „ etiam ſummam eruditionem in patriam repor„ taſti. Neque enim *multarum linguarum*, in qui„ bus excellis, peritia, et *literis humanioribus*, ac „ *Poetarum* atque *Oratorum* intelligentiâ fuiſti con„ tentus; ſed graviora etiam *ſacrarum Legum* ſtu„ dia atque abditos *Philoſophiæ* receſſus *) tibi per„ luſtrandos cenſuiſti; unde et *jureconſultus* et „ *philoſophus* ſimul evaſiſti; ſcilicet ut non ſolum „ privatæ animi tui voluptati atque utilitati ſimul „ conſuleres, ſed Rempublicam quoque ſalutari„ bus conſiliis juvare poſſes. Ut autem in pere„ grinis regionibus ingentibus ſumptibus atque „ diſpendiis comparatam eruditionem perpetuo ale„ res atque augeres, refertiſſimam *bibliothecam* „ maximis impenſis tibi dudum collegiſti, quam „ etiam quotidie optimorum librorum acceſſione „ locupletas: qua certe in re tui ego judicii acri„ mo-

*) De philoſophicarum rerum intelligentia, quam ſibi peperit *Noſter* teſtatur quoque XYLANDER in *Dedicatione* ad *Librum Michaelis* PSELLI *de IV. Mathematicis Scientiis*.

„ moniam valde ſum admiratus: neque enim com-
„ munem multorum rationem atque conſuetudi-
„ nem imitaris, ut quidquid noſtra hæc ætas,
„ librorum fæcundiſſima, in lucem profert, in il-
„ lam ſtatim comportandum cures; ſed adhibes
„ tu hîc delectum, et meliores tantum, et qui
„ alicui tibi futuri ſunt uſui, tuâ bibliothecâ dig-
„ nos putas. Fere enim fieri ſolet, ut qui om-
„ nes volunt, nullos legant; quanquam aliorum
„ judicia etiam non omnino ſunt improbanda.
„ Publico enim commodo omnia cupiunt conſer-
„ vari, *Plinii II.* judicium ea in re ſecuti, qui
„ nullum librum eſſe tam malum duxit, quin ali-
„ quid boni ſemper in ſe contineat: alioqui niſi
„ omnes habeantur, quinam boni ſint aut mali,
„ non facile dignoſci poteſt. Quod ſane magna-
„ nimi Viri *Joannis Jacobi* FUGGERI, fratris tui,
„ propoſitum atque inſtitutum fuiſſe non dubito,
„ dum ingentem auri ſummam in ſuam illam am-
„ pliſſimam bibliothecam exponit: et multos jam
„ annos, in omnis generis libris congerendis,
„ atque in illam comportandis, magna animi ala-
„ critate ac ſtudio elaborat; quo certè immortali
„ opere digniſſimum ſe oſtendit, cuius memoriam
„ grata poſteritas perpetuo colat atque obſervet. Tu
„ tamen, qui non ſolum utiliſſimos libros à tem-
„ poris injuria cupis liberare, ſed tibi ipſi etiam
„ ac proprio uſui illos paras, prudenter profectò
„ judicaſti: non illam infinitatem eſſe perſequen-
„ dam, ſed optimos quosque deligendos; præſer-
„ tim cum ſine magno valetudinis incommodo
„ humana vita, multis modis ſerva, tot libris
„ perlegendis par eſſe non poſſit: ut in nobiliſ-
„ ſimo Principe *Joanne Mirandulano* fuit decla-

„ ratum: qui cum ex Hebræis, Græcis, ac La-
„ tinis auctoribus nullum a ſe neglectum aut præ-
„ teritum vellet, pulcherrimum ac robuſtiſſimum
„ corpus ita labefactavit, ut undecima nondum
„ functus annorum trieteride, immaturo fato no-
„ bis, magno meliorum litterarum damno, abri-
„ peretur. Ac mihi quidem veſtra familia in *Ger-*
„ *mania* per omnia celeberrimis illis *Medicibus*
„ *Florentinis* perſimilis videtur: nam et opum ac
„ rerum omnium affluentia, et ſplendore ac mag-
„ nificentia, et erga bonos ac eruditos Viros be-
„ nevolentia, et litterarum atque artium ac ſcien-
„ tiarum ſtudio ac cura merito cum illis comparari
„ poteſt. In ea re vero potiſſimum, quod in con-
„ quirendis doctorum hominum commentariis tan-
„ ta utitur ſedulitate ac diligentia, ut nihil præ-
„ clarum in hoc genere orbis ſit habiturus, quod
„ non in FUGGERORUM bibliothecis, ſive editum
„ ſive non editum, reperiatur. Quemadmodum
„ igitur *Florentinos Medices* de re litteraria opti-
„ me meritos D. O. M. felici ac proſpero rerum
„ ſucceſſu eſt remuneratus, et eruditorum Viro-
„ rum ſcriptis eorum nomen ad ſempiternam me-
„ moriam celebrabitur: ita idem ego de vobis *Hul-*
„ *drice* FUGGERE! præſago quodam animi affectu
„ futurum divino. Memini ego, cum tu mihi ali-
„ quando dixiſti: *nullos tibi chariores eſſe theſau-*
„ *ros, quam libros.* — O vocem egregiam ac ſa-
„ piente Viro dignam! Cum olim apud *Dionyſium*
„ *Syracuſanum Plato* atque *Ariſtippus* diverſaren-
„ tur, ſolitum dicere *Dionyſium* ferunt: *Plato*
„ *ſemper libros, Ariſtippus ſemper pecuniam petit.*
„ Tibi vero cum utrumque ſuppetat, quam ſis
„ *Platoni* ſimilior (quam *Ariſtippo*) ſatis decla-

„ ras;

„ ras; cum utrum alteri præferendum ſit, pro-
„ nuncias. Non igitur ineptam me rem facturum
„ judicavi, ſi libros tantopere expetenti librum
„ darem. Sed tua illa etiam eximia in me hu-
„ manitas & liberalitas quoque, quam ego dum
„ agerem *Auguſtæ*, apud te ſum expertus, ita ani-
„ mo inhæret meo, ac perpetuo inhærebit, ut
„ grati animi indicium aliquod â me exhibendum
„ eſſe exiſtimarim". Hucusque DONZELLINUS.

Quod ad *Noſtrum* ſpectat, ipſe græcæ linguæ peritiſſimus fuit, nec averſus ab arte *alchymica*; quippe qui de hac materia

Monumenta quædam ſcripta f)

poſt ſe reliquit. *Diſſertiſſimam* Orationem eius *Badenæ* habitam, laudat auditam ſibi *Conradus* GESNERUS g). Ex Bibliotheca *Noſtri* prodiverunt.

Impp. JUSTINIANI *Novellæ*, *Edicta XIII.* JUSTINI *Edicta V.* LEONIS *Sapientis Conſtitutiones CXIII. in folio. Græcè. Curâ Henrici* SCRIMGERI, *Pariſiis.* 1558. *Ex officina Henrici Stephani.* De qua rariſſima editione videri poterit *Jo. Alb.* FABRICIUS in *Biblioth. græc. Vol. XII. p.* 400. 404. 408.

Epiſtolas *Noſtri* ineditas poſſedit *Jo. Chriſtoph.* WOLFIUS, laudatque in *Conſpectu* ſuo *Supellectilis epiſtolicæ & litterariæ manu exaratæ.*

C 5 Obiit

f) Monet hoc MORHOFIUS *l. c. T. I. L. I. C. IV.* §. 17. ubi ait: *Proceſſit huius Viri* (Fuggeri) *inſignis liberalitas ex inexhauſto illo ſummi Arcani phyſici fundo, cuius poſſeſſorem monumenta quædam ab illo ſcripta teſtantur.* Sed *Arcanum* hoc poſſediſſe *Noſtrum*, negat *Jacob.* BRUCKERUS in *Miſcell. Hiſtor. philoſ. crit. litter. p.* 408. ubi videſis.

g) In *Epiſtola ad Gaſſarum. Epiſtol. medicinal. L. I.*

Obiit *Udalricus* noſter, cælebs, *Heidelbergæ* anno 1584. die 25. Junii, ibidemque ſepultus eſt. Eius *Epitaphium* exhibent TEISSIER in *Eloges des Hommes ſavants*, & CARPENTARIUS in *Centuria Erudit. cœlib.*

4.

FUGGERA (*Sidonia Iſabella*). Gens *Fuggerana* non ſolum Viros doctos, & de Republica litteraria præclare meritos: ſed, ut ad cumulatam perfectamque familiæ nobiliſſimæ laudem plane nihil deeſſet, litteratas quoque fæminas orbi dedit. Teſtis *Sidonia Iſabella* hæc noſtra. Primam illa lucem anno 1543. ad diem 28. Novembris aſpexit, parentibus procreata *Georgio a*) & *Urſula Liechtenſteinia b*). A teneris unguiculis ad omnimodam pietatis ac litterarum culturam formata, annos habens viginti duo, *Jacobo* VILLINGERO Baroni *à Schönenberg* in conjugium tradita fuit: habitæque ſolennes nuptiæ anno 1565. die 5. Martii. VILLINGERO iſti avus fuit *Jacobus* VILLINGERUS Vir ſpectatiſſimi in aula cæſarea nominis, magnusque Theſaurarius: pater *Carolus* VILLINGERUS Mecænas Litteratorum cum primis memorandus; de qua re videſis *Alphabetum VII.* meæ *Bibliothecæ Auguſtanæ*, inter *Hieronymi* WOLFII *Opera*, *No. XI.* Filius autem huius *Caroli*, ſupradictus *Jacobus*, ſepulchrale monumentum ſequens ſibi ſtruxit, teſte PRASCHIO in *Epitaph. Auguſtan. T. I. p.* 105.

D. O.

a) De *Georgio* hoc ſuperiùs *pag.* 29. paucis actum eſt.
b) Confer, quæ de *Urſula Liechtenſteinia* habet Libellus: *Origo Collegii Societatis Jeſu, Auguſtæ.* in 8o. p. 6.

D. O. M. S.
JAÇOBUS. VILLINGER.
BARO. IN. SCHOENENBERG. JAC. N.
SIBI. UXORI. SIDONIÆ. ISABELLÆ.
EX. GENEROSA.
IL. BARONUM. DD. FUGGERORUM.
FAMILIA. ORIUNDÆ.
SUISQUE.
DE. NOVO. EXSTRUXIT. ET. DOTAVIT.
M. DC. I.

Noſtra, marito viduata, reliquo vitæ tempore *Auguſtæ* inter pietatis ſtudia transacto, anno 1601. die 31. Auguſti naturæ debitum moriendo exſolvit *c*).

De *Noſtra* PANTALEO *d*) teſtatur: *latinis litteris adeo ornatam exſtitiſſe, ut exactiſſime latine loquendo nulli, quamvis doctiſſimo, cedere judicaretur* *) Hinc merito eam FABRICIUS *e*) inter fæminas eruditas accenſuit: uti & MUSLERUS *f*) dicens: *eam non ſolum eleganter latine locutam, ſed & aliarum nobilium ſcientiarum valde expertam fuiſſe: habuiſſeque alias ſorores duas, quæ doctis et peritis fœminis accenſeri plane meruerint.* Accedit, quod de *Noſtra* Adamus *Flotto* g) affirmat: *Erat*

pro

c) Ex his patet, *Noſtram*, brevi poſt Viri mortem tempore, ex hac vita demigraſſe.

d) In *Proſopographia*, *T. III. p.* 435.

*) Mirum! illis temporibus tantum honoris â foeminis linguæ latinæ tributum fuiſſe, quam noſtra ætate Viri, etiam Academici, in poſtremis habere non erubuerunt.

e) In Libro: *Abriſs einer allgemeinen Hiſtorie der Gelehrtheit*, *T. III. p.* 289.

f) In *Oratione I. pag.* 157.

g) In *Hiſtor. Provinc. Soc. Jeſu German. ſuperior. P. III. p.* 54.

pro more Maiorum à teneris apprime religioſa: et (quod rarum in foemina) latinis litteris tam præclare imbuta; ut Patrum quorundam Scripta, à ſe in patrium ſermonem translata, ediderit. Quænam *Scripta* illa *Patrum* fuerint, non exprimit *Flotto*; neque ego indagare hactenus quivi.

5.

FUGGER (*Philippus Eduardus*) frater germanus præcedentis *Sidoniæ Iſabellæ*, natus eſt anno 1546. die 11. Februarii: cuius hôc locô (etſi pauca ſint, quæ de illo dicere habeo) tamen mentionem facere vel iſtud ſuadet; quòd eum prædicare complures, ante me, Litteratores minimè neglexerint.

Hunc ad annum 1555. in Univerſitate *Ingolſtadiana* albo academico nomen dediſſe *a*) invenio. Poſtea *Gallias*, *Hiſpaniam*, *Italiam* ſtudiorum cauſa inviſit. Et *Romæ* quidem abs *Gregorio* ROSEFFIO *b*) in *Contubernio Germanorum* ad *S. Marcellum*, una cum fratribus *Octaviano Secundo* (qui poſtea ab anno 1594. in annum 1600. duûmvirali dignitate *Auguſtæ* refulſit, virtutibûs ac gloriâ ſuâ non indignum ſucceſſorem nactus magnum *Marcum* VELSERUM noſtrum) & *Antonio*, moribus optimisque artibus probe informatus eſt.

Anno 1573. ætatis autem ſuæ 27. *Mariam Magdalenam* Baroniſſam in *Königsegg* & *Aulendorf* connubio ſibi junxit, celebratis die 21. April. nuptialibus ſollennitatibus. In Eccleſiam *SS. Udalrici & Afræ* beneficus, Sacellum *S. Bartholomæi* inſtau-

a) V. *Annales eius Academiæ*, *T. I. p.* 240. 241.
b) V. *Alphabetum V. Biblioth. Auguſt. p.* 183.

inſtauravit, ibique ſibi ac ſuis conditorium fieri curavit hac epigraphe c):

Beati, qui in Domino moriuntur.

PHILIPPUS EDUARDUS FUGGER BARO IN KIRCHBERG ET WEISSENHORN, SIBI, MARIÆ MAGDALENÆ BARONISSÆ IN KOENIGSEGG ET AULENDORF CONJUGI, ET EORUM POSTERIS CATHOLICIS MONUMENTUM HOC EXTRUI VIVENS C. ANNO DOMINI M. D. XCVI.

& in eodem mox anno ſequenti (1597.) uxorem ſuam fatîs perfunctam tumulavit.

Cum fratre ſupradicto *Octaviano Secundo* auctor fuit, ut de hæreditate patrui *Chriſtophori*, ad pias cauſſas a ſe & hæredibus deſtinata, 30000. floreni Patribus *Societatis Jeſu* in conſtructionem Collegii & Gymnaſii *Auguſtani* cederentur. Eisdem Patribus (cum *Octaviano*, *Raymundo*, & *Jo. Georgio*) ædes hæreditario jure acquiſitas, pretio plusquam 12000. florenorum, dono dedit; ubi nunc *Collegium* extat conſtructum: conditique Collegii cenſum cum fratre *Octaviano* novîs ſubſidiîs auxit.

Diem ſupremum obiit *Noſter* anno 1618. die 14. Auguſti, cum vixiſſet annos 72. menſes 6. dies 3. Obſervatum fuit, nulli *Fuggerorum* ad id usque temporis tam longum vivendi ſpatium conceſſum fuiſſe.

Studiis, præcipue *Aſtrologicis*, impenſe deditus fuit, adeo ut patrem huius ſcientiæ peritia ſuperaſſe crederetur. Hinc *Nicolaus* REUSNERUS in *Elegia de Nuptiis illuſtrium Heroum Heroinarumque &c.* in qua *Fuggerorum* laudes feſtive cecinit, inter alia hæc ſcribit:

Arti-

c) V. KHAMM *Hierarch. Auguſt. T. I. p.* 382.

Artibus ingenuis, quarum tibi maxima cura;
Et ſtudiis tribuis tempora multa bonis.
Et cœlum penetras ſublimis acumine mentis:
Aetherium currit ceu ſolis ales iter.
Metirisque ſolum radio, pontumque profundum,
Phœbeosque ſimul, ſidereosque globos.
Crede mihi! cum ſole ſimul lunaque, Philippe!
Semper eris. Tua laus jam ſuper aſtra volat.

Mathematica ita coluit, ut GUNDLINGIUS *d*) & FABRICIUS *e*) merito jure locum ei inter celebres *ſœculi XVI. Mathematicos* dederint. Extat quoque memoria *Turris Aeoliœ* noſtri FUGGERI, octo ſcilicet Diſticha in eandem, quæ, *Tractatui germanico de octo prœcipuis ventis* annexa, in Bibliotheca *Vindobonenſi* aſſervari monuit LAMBECIUS; unde conjicio hanc *Turrim* indicandis ventorum motibus deſtinatam fuiſſe. Citatus GUNDLINGIUS addit: *Noſtrum* viros litteratos penſionibus adjuvâſſe, eiusdemque domum litterariis Eruditorum conventibus jugiter patuiſſe. Atque in hanc rem belliſſime congruunt *Lucœ* STENGLII Medici *Auguſtani*, *Jo. Bapt. Montani Tragopodagram. Auguſtœ Vindel.* in 4to. 1582. *Noſtro* dedicantis verba, quibus *ſummam & incredibilem in converſationibus philoſophicis ſcientiam, dexterrimumque de iisdem judicium* arrogare *Noſtro* palam ac publice voluit.

Bibli-

d) In *Hiſtorie der Gelehrtheit, p.* 2.
e) In *Abriſs einer allgemeinen Hiſtorie der Gelehrtheit, T. III. p.* 355.

Bibliothecam habuit ampliſſimam, quæ poſtea anno 1655. *f*) in *Vindobonenſem* Bibliothecam tranſivit. Continuit ea ſecundum primam quidem & ſubitaneam deſignationem, Cæſari *Ferdinando III.* Auguſtâ anno 1655. transmiſſam, 13828. Volumina: ſecundùm accuratiorem vero ſupputationem minimùm 15000. Volumina. Certò quoque conſtat, ante graviſſimum *ſæculi XVII.* bellum *Germanicum* florenis 80000. & poſt illud florenis 40000. potuiſſe divendi; ſed propter certas cauſſas ſacræ cæſareæ Majeſtati 15000. duntaxat florenis addicta fuit. Cum *Bibliotheca* inter ceteras res raras ac artificioſas, quas eadem conjunctas habuit, illuc quoque transmigravit Effigies *Noſtri* ſecundùm juſtam corporis magnitudinem egregie depicta cum hac Inſcriptione:

ANNO 1615. PHILIPPUS EDUARDUS FUGGERUS, ÆTATIS ANNO LXX.

Tabula item marmorea eò tranvecta eſt, ſequentem epigraphen habens:

M. D. LXXI.

D. O. M.

AD GENEROSUM AC NOBILEM VIRUM
D. PHILIPPUM EDUARDUM FUGGERUM
BARONEM, DOMINUM in KIRCHBERG
ET WEISSENHORN &c.

Eſt res magna, bonis ortum eſſe parentibus, atque
A claris clarum ducere nomen avis.

Nec

f) STRUVII *Notitia Rei litterar.* p. 318. LAMBECII *Commentar. de Biblioth. Vindobonenſ. T. I. p.* 139.

Nec minor eſt animi, peperit quam vivida virtus,
Nobilitas: hæc vel ſola beant homines.
En tibi, quò deſit nihil, eſt utrumque paratum:
Illud ſorte tibi contigit, hoc operâ.
Ergo diu felix fruere his, generoſe PHILIPPE!
Atropos et laribus parcat amara tuis.



ANTO-

II.

ANTONIUS FUGGER

POSTERIQUE EIUS:

VIDELICET

1. MARCUS.
2. OTHO HENRICUS.
3. JACOBUS.

Accedunt pauca de laudibus *Antonii*, alîus à ſupranominato; *Alberti*; *Chriſtophori*; *Sigismundi Friderici*; *Antonii Ignatii Joſephi*; *Philippi Caroli* FUGGERORUM.

FUG-

FUGGER (*Antonius*)

Filius *Georgii* & *Reginæ Im-Hof* frater *Raymundi*, de quo ſuperius egi, natu minor, lucis huius uſurâ anno M. CCCC. XCIII. die 10. Junii perfrui cœpit. In adoleſcentia, ſtudiorum uti & linguarum addiſcendarum gratiâ, exteras regiones peragravit. A *Jacobo* FUGGERO, cognomento *divite* & improli, ad mercaturam adhibitus, poſtremâque eius voluntate univerſæ *Fuggeranæ* negotiationi præfectus eſt. Quamobrem dicto *Jacobo Fuggero*, anno 1525. fatis defuncto, ipſe *Venetiis Auguſtam* reverſus, cum fratre *Raymundo* mercaturæ aliquamdiu operam navavit. Anno ætatis 34. cum lectiſſimæ formæ virgine *Anna Rehlingera*, *Joannis Rehlingeri ab Horgaw* filia, conjugium iniit, nuptiasque ſolennes anno 1527. die 5. Februarii celebravit, copioſa dehinc ſobole auctus.

Hic una cum ſuis ex fratre *Raymundo* nepotibus, videlicet *Joanne Jacobo a)*, *Georgio b)*, *Chriſtophoro*, *Udalrico c)*, & *Raymundo* anno 1548. ſuper fundatione Sacelli *Fuggerani* ad D. *Annam*, & Peninſulæ, pro habitatione pauperum civium & incolarum deputatæ (vulgò die *Fuggerey*) uti & quoad Fidei-Commiſſum, à *Jacobo* & *Hieronymo* relictum ſaluberrimas diſpoſitiones fecit, aſſignando inſuper redditus annuos mille florenorum, & domum certam Peninſulæ pro curandis pauperibus, ipſorum ſubditis, & (in de-

 fectu

a) De hoc ſuperiùs, *pag.* 17. egi.
b) Huius laudes itidem habes ſuperiùs, *pag.* 29.
c) De hoc quoque videſis ſuperiùs, *pag.* 33.

fectu horum) etiam pro aliis, ſiphylide morbo laborantibus; ſicque cum nepotibus auctor fuit domûs dictæ: *Das Holzhauß in der Fuggerey.* Hoſpitale in *Waltenhauſen* pro uſu & ſuſtentatione 50. ſubditorum, utriusque ſexûs, ex Legato *Hieronymi* curavit ædificari; de ſuo autem, nepotumque patrimonio dotavit ac firmavit. *Almagri* in regno *Caſtellæ*, in Eccleſia *S. Salvatoris* inſignes fundationes pro cultu divino fecit, ſacrificiaque quotidiana inſtituit *d*) Et hæc quidem omnia unà cum prædictis nepotibus, ita tamen ut ipſe ſuis largitionibus præcipuis & ampliſſimis præiverit.

Solus vero in ſequentibus nomen æternum ſibi fecit. Per codicillum, teſtamento ſuo adjectum, 28000. florenos legavit, ut de illorum reditu annuo pauperes calculo, hernià & ſiphylide morbo laborantes curentur, ſicque auctor extitit domuum: *Das ſonderbare Holzhauß ob dem Gänsbüchel* und *Schneidhauß auf dem Roſſmarckt*: quas domos in eum finem filii hæredes anno 1571. deſtinârunt. In arcis *Babenhuſanæ* templo anniverſaria certa, & alia Officia divina fundavit. In elocationem trium honeſtarum virginum, ex ſubditis prognatarum, annuos redditus aſſignavit. Comitatibus, Baronatibus, Dominiisque, a patruo *Jacobo* acquiſitis, plura adjecit dominia, maxime vero S. R. I. Præfecturam *Donawerdanam*, oppida *Babenhauſen*, *Brandenburg*, *Khierchaim*, *Eppishauſen*, *Duettenſtain*, *Ahelfingen*, *Stettenfels*, *Oberndorf*, *Mickhauſen*, *Waltenhauſen*, *Rettenbach*, *Pleſs*, *Gablingen*, *Glött*, *Ehingen*, . . . ingentem auri vim, & fidem ferme ſuperantes pecu-

d) Hæc omnia teſtatur *Genealogia Fuggerana* in *folio. Auguſtæ.* 1618. impreſſa.

euniæ ſummas in hoc impendens: itemque per ultimam voluntatem cavens, ne bona intra *Danubium*, *Lycum*, *Ileram*, & *Alpes* ſita alienentur *e*).

Tempore tribunitii *Regiminis* inter Senatores adlectus, cùm *Lutheri* doctrinis turbari urbs *Auguſta* cæpiſſet, multa paſſus eſt *f*), quòd vetera retinenda, nova rejicienda putaret. Hinc etiam anno 1537. Cleri catholici expulſionem modis omnibus, ſed eventu nullo, impedire conatus fuit. Anno 1538. cum in locum Patritiarum, quæ defecerant, familiarum aliæ ſubſtituerentur, noſter quoque *Antonius*, una cum *Raymundi* fratris jam morte defuncti filiis ad id honoris pervenit *g*). Poſthæc civitate *Auguſtana*, fædus *Smalcaldicum* amplectente, *Paſſavium* non ſine magno fortunarum detrimento confugit. At inde poſt celebrem illam ad *Albim* fluvium à *Carolo V*. ex hoſtibus reportatam victoriam, cùm dira quæque *Auguſtanæ* urbi imminerent, reverſus *Auguſtam*, indeque *Ulmam* Senatûs nomine profectus apud *Carolum V*. tum auctoritate, tum favore, quo apud eum pollebat maximo: tum etiam lacrymis ora rigans, & ſupplices tendens palmas, effecit, ut Cæſar non ſolum iræ modum poneret, ſed & de impoſita mulcta 50000. florenos remitteret. Neque hoc reconciliationis negotio à ſe feliciter adminiſtrato contentus, inſuper rem Civitatis, opum penuriâ maximâ laborantis, ſuppeditatis absque ulli-

e) Vide mox laudatam *Genealogiam*.

f) STETTEN. *Hiſtor. Auguſt.* vernaculè. *T. I. p.* 332. Confer *Eraſmi Roterodami Epiſtolas. Edition. Lugduno-Batav. T. III. P. II. p.* 1759. *Hiſtoriam Soc. Jeſu. T. II. p.* 259.

g) Vide STETTEN. *l. c. p.* 352.

ullius fænoris ſpe 80000. florenis egregie fulcivit. Sic quæ prius adverſus ſe geſta fuerant, memorandô poſteris exemplô, ſuaviſſimæ Reipublicæ generoſè condonans promeruit, ut eius nomen *Libro conſulari* (Raths - Buch) adjecta Beneficiorum omnium patriæ præſtitorum memoria, ad perpetuam nominis famam inſcriptum fuerit *h*).

Capta anno 1547. *Auguſta*, & *Patritio Regimine* anno ſequenti (1548.) per *Carolum V.* poſtliminiò reſtituto inter Senatores adlectus eſt *Noſter*, ſed mox anno 1551. ſeſe eadem dignitate rurſus abdicavit.

A prædicto *Carolo V.* Imperatore in ſtatum *Baronum ac Comitum* collocatus, tum apud hunc, tum apud *Ferdinandum* Regem, poſt etiam Cæſarem, *Conſiliarii* dignitatem geſſit. Præterea *Carolum V.* domo excepit ſua, annóque plus uno habuit, libero ad eundem aditu uſus.

Mortuus eſt anno 1560. & poſt habitas in templo *S. Mauritii Auguſtæ* exſequias monumento, quod *Babenhuſæ* ſibi vivus ſtruxerat, & quò uxorem ſuam, anno 1548. morte raptam, præmiſerat, conditus requieſcit, his verbis loculo inſcriptis:

D. I.
SARCOPHAGUS.
ANTONII. FUGGERI.
OBIIT. PRIDIE. IDUS. SEPTEMBRIS.
ANNO. MDLX.
ÆTATIS. LXVII.
QUEM. FILII. MÆSTISSIMI.
PATRI. INCOMPARABILI. F. C.

Lu-

h) Vide citatam *Genealogiam*.

Luxit tantum *Fuggeranæ* Gentis ſydus patria. Luxerunt pauperes. Luxerunt & litteræ, de quibus dicere pergo.

Noſter cum *Raymundo*, cuius ſupra memini, fratre *ſcientiis à puero operam dando dici non poteſt, quam acutò rerum eruditarum judiciò, quà doctrinæ elegantià fuerit, tum rerum experientia, tum variæ doctrinæ excellentia cum paucis comparandus.* *Babenhuſæ* ſcholam aperuit, in qua pueri prima elementa docerentur. Stipendia complura Studioſis tum alendis per Academias, tum omni ſubſidiorum genere adjuvandis deſtinavit. Filios ſuos, quos inter *Marcum*, de quo mox dicetur, vocare nomine hôc locô libet, à *Ludovico* CARINO Medico, non artis ſolum iatricæ ſed humaniorum quoque litterarum ſcientia claro, domi ac foris, in ſuſceptis ſtudiorum cauſſa itineribus regi atque inſtitui curavit: tum (quod *Hieronymus* WOLFIUS in *Præfat. ad Nicetam* monet) *ab ipſis prope incunabulis usque ad juventutis initia a doctiſſimis præceptoribus, in celeberrimis Europæ Gymnaſiis optimarum artium & linguarum cognitione imbui atque formari ſtuduit* *) Bibliothecam, quovis bonorum librorum genere inſtructiſſimam, cum fratre *Raymundo* habuit, ê qua eò adhucdum vivente *Zonaras*, *Nicetas*: mortuò autem *Nicephorus Gregoras* protracti fuerunt *i*).

D 4 Cum

*) Inter juniorum *Fuggerorum* didaſcalos etiam nominari debent *Viglius ab Ayta* ZUICHEMUS & *Antonius* CARCHESIUS; ut alios taceam. V. SCHELHORN *Amænit. Hiſtor. eccleſiaſt. & litterar. T. I. p.* 731.

i) Hæc in *Alphabeto VII. Bibliothecæ* meæ *Auguſtanæ*, in *Catalogo Opp. Hieronimi* WOLFII, fuſe narro; nec hôc locô repetere eadem juvat. Juvabit tamen de *Joan-*

Cum Cardinale *Granvillano* amplum litterarum alens commercium, ſæpe optima eum monuit, teſte PELISSONIO in *Tractat. de Tolerantia p.* 95. Litteratos coluit *k*) maxime, modisque omnibus juvit: cuius rei documento eſſe poterunt Viri docti à me initio huius *Narrationis*, *pag.* 4. enumerati.

Joanne DORSCHWAMO aut (ſi mavis DERNSCHWAMMO, cuius mentio ſupra *pag.* 2. facta eſt, nonnulla pauciſſimis nota addere. Huic patria *Cepuſienſi* ſeu *Noviſolienſi*, quà *Viro eximio, ſingularique prudentiâ ac ingeniô eminenti*, *Amico* ſuo *Sebaſtianus* MUNSTERUS *Rudimenta Mathematica*, *anno* 1551. dedicavit, inter alia dicens: *Nunc ad te, humaniſſime Dernſchwame! mea convertatur oratio... qui ab ineunte ætate usque ad hanc (quam mediocrem habes) ſenectutem, etiam inter ſummas occupationes, litterarum ſtudium non dereliquiſti, ſed nullum non moviſti lapidem, quò tibi ſplendidiſſimam optimorum Auctorum comparares Bibliothecam, conciliaresque electos quosque viros amicos; id quod non vulgaribus argumentis hîc Baſileæ exiſtens, erga me et alios multos bonos viros declaraſti. Et (ut de me loquar) tu majorem de me concepiſti opinionem, quam mea unquam commeruit mediocritas. Quam mihi tua placuerit familiaritas, converſatio, et de ſeriis rebus confabulatio, non eſt, quod hic ſcribam. Hoc unum mihi adhuc dolet, quod in diſſipatione nobiliſſimæ* Budenſis Bibliothecæ, *quam* Mathias Corvinus, *magnificentiſſimus ille* Ungariæ *rex, undiquaque optimis collectis libris inſtauravit, tibi non plura contigerint exemplaria, in uſum ſtudioſorum exponenda. Certe non mediocri gaudio me affeciſti, referens: quomodo ex ſpoliis illis tibi contigerit (licet non ſine pecunia) ingens illud* Volumen Onkeli Chald. interpretis, *cuius* Thargum *ſeu Verſionem huc usque in* Pentateuchum *duntaxat, non autem in* Prophetas *vidimus. Scis, quam ſancte te adjurarim, ne librum illum penes te perpetuo ſervares, ſed mitteres cum aliis, quæ mittere promiſiſti de* Zepuſio, *de* Montibus Carpathiis, *et eorum metallicis foſſionibus &c. &c.*

k) Confer *J. G.* SCHELHORNII *Amœnit. Hiſtor. eccleſiaſt. & litterar. T. I. p.* 721. *ſeqq.*

rati, quibus hôc loco addendus eſt celebris ille *Eraſmus Roterodamus*, quem propoſita annua penſione & oblato viatico ad ſe vocare non dubitavit *Noſter*. Quam vocationem etſi *Eraſmus l*) ob graviſſimas cauſſas non acceptarit, tamen impenſiſſimas de illa grates agere *Noſtro* non intermiſit, ſcribens anno 1529. 5. Aprilis ex *Baſilea*, in hæc verba: *Quo minus extat meorum erga te meritorum, Vir clariſſime! hoc magis debeo iſti tam propenſo in me animo, tamque obviæ et expoſitæ benignitati, quam ego adeo non contemno, ut libens fatear, me non minus obſtrictum tibi, quam ſi, quidquid offers, accepiſſem. Jam enim me ingenti lucro auctum eſſe exiſtimo, quod* Antonium FUGGERUM, *Virum omnium ore celebratum, mihi tam ex animo amicum eſſe intelligo.* In *Epiſtola* deinde ad *Bilibaldum* PIRCKHEIMERUM, & ad VLATTENUM Scholarcham *Aquenſem*, diſertius exponit conditiones abs *Antonio* noſtro ſibi propoſitas: *Ante paucos dies, præter omnem exſpectationem, Vir egregius* Antonius Fuggerus *dono miſerat poculum mirâ formâ, & pulcherrime inauratum, pretiô (ni fallor) quadraginta florenorum, nihil præterea non offerens & humanitatis & benignitatis, ſi voluiſſem* Auguſtam *demigrare; ac ne cauſſari poſſem de viatico, deſignavit, unde* Baſileæ *centum florenos aureos acciperem. (Video mi* Bilibalde! *non omnes eſſe* Sutores, Beddas *m*) Leos, Stunicas) *et tantumdem quotannis obtulit, ſi voluiſſem me* Auguſtam *conferre.* Satis (puto) hæc comprobant, quanta erga Doctos liberalitate, & quam acuto

l) V. *Epiſtolas* eiusdem, *T. III. P. II. Opp. p.* 1219. 1742.

m) *Scilicet hos* ERASMUS *adverſantes ſibi habuit.*

ac ſubtili in illis deligendis judicio *Antonius* fuerit? *Viglium* quoque *ab Aytta* ZUICHEMUM cum reliquis *Fuggeris* ſingulari benevolentia proſecutus eſt: Hunc, cum ex pede laborans *Reina Auguſtam* curationis ergo ſeceſſiſſet, hoſpitio benigne excepit; fecitque, ut is jam inde ab anno 1532. Regi Romanorum *Ferdinando* innotuerit. Coluit viciſſim quam maxime ZUICHEMUS *Fuggeros*, quorum nonnullos dum *Patavii* profitebatur, diſcipulos habuit. Extat eius *Epiſtola* ad *Antonium* noſtrum anno 1543. 15. Novembris data, in PAPPENDRECHTI *Analect. Belgic.* ubi ſæpius de *Noſtro* vide: ubi etiam *Noſter* a *Viglio Heros* audit, *cuius virtus in tota Germania reſplendet*.

Quæ cum ita ſe habeant, profecto non eſt, cur mirum me habeat, Eruditos nomini *Antoniano* quàm devotiſſimos ſe præbuiſſe: gratasque vices ſtudioſè rependentes dicatis ingenii monumentis famam eiusdem æternitati conſecraſſe.

Sic ei WOLFIUS *Zonaram* dicavit, ſequenti encomio uſus: „ Nunc ad eam *Præfationis* partem accedendum eſt, in qua alioquin multum „ ſudare ſolitus fui; quòd verebar, ne vel in aſ„ ſentationis ſuſpicionem commemorando, vel in „ negligentiæ crimen diſſimulando venirem. Nunc „ ut liberiore ſim animo, tua modeſtia, vel po„ tius magnitudo animi facit: qua id ab ineun„ te ætate meditatus eſſe videris, quod apud *Ci„ ceronem Scipioni* divinitus præcipitur: ut altè „ ſpectans atque ad cæleſtem ſedem & æternam do„ mum contuens neque ſermonibus vulgi dederis te, „ nec in præmiis humanis ſpem poſueris rerum „ tuarum; ſed ſuis te illecebris ipſa virtus tra-

xerit

„ xerit ad verum decus; ut illud Græci Poëtæ
„ de te dici poſſit:

> Οὐ γὰρ δοκεῖν ἄριστος, ἀλλ' εἶναι θέλει,
> Βαθεῖαν ἄλοκα διὰ φρενῶν καρπούμενος,
> Ἐξ ἧς τὰ κεδνὰ βλαστάνει βουλεύματα.

„ Quibus verſibus id *Amphiarao* ſuo tribuit *Æſchy-*
„ *lus*, ut affirmet, eum virum optimum eſſe malle,
„ quam videri; cuius anima tanquam ager foe-
„ cundus & probe ſubactus, conceptis virtutum
„ ſeminibus, honeſtorum conſiliorum, et, quæ in-
„ de oriuntur, actionum quandam quaſi ſegetem
„ proferat, quæ ſi per omnem ætatis tuæ de-
„ curſum, quem ita moderatus es, ut honeſta
„ negotia ſuaviſſimo otio ſemper antepoſueris, ſin-
„ gulatim explicare ſtudeam; Opus *Iliade* proli-
„ xius mihi naſcetur, et tuæ aures ſatis (ſcio) non
„ ferent. Quæ igitur calamo vel tua voluntas,
„ vel mea verecundia negat, ea poſteritatis ſer-
„ monibus vel invito te celebrabuntur. Idem
„ enim eſt gloriæ, quod crocodili ingenium: ſe-
„ quentes fugit, fugientes ſequitur. Nihil (ut
„ eloquentiæ *Romanæ* parens teſtatur) de inſig-
„ nibus ad laudem viris obſcure nunciari ſolet.
„ Famæ nemo unquam imperare potuit. Non
„ patitur illa *Heſiodi* Dea ſibi frænos injici; lo-
„ quitur et clamat, ut ab ipſa poſteritate vox
„ eius audiatur. Prædicabit illa non tantum or-
„ namenta fortunæ, ob quæ cum vulgo beatus
„ habearis, tu ea umbræ parietum comparare
„ ſoles; ſed et *ingenii magnitudinem et prudentiam*
„ *tuam periculoſiſſimis temporibus in re et publica*
„ *et privata*: animi conſtantiam et æquabilitatem
„ in utraque fortuna: in ampliſſimis opibus, quas

„ à Majoribus acceptas et feliciter conſervaſti, et
„ ſine cuiusquam injuria amplificaſti, et ad be-
„ ne merendum de multis contuliſti, eam mode-
„ ſtiam, et debiti etiam honoris contemptum,
„ qui vel in infimis hominibus raro invenitur. Nec
„ tacebit vel benignitatem erga miſeros et afflic-
„ tos, vel liberalitatem erga ſtudioſos et doctos:
„ in quo numero ſi quis mihi locus eſt, et ſi in-
„ ter *Luſcinios*, *Carinos*, *Tonneros*, *Streitos*, *Si-*
„ *phanos*, atque alios complures, qui tua muni-
„ ficentia fruuntur, numerari mereor (ut autem
„ merear, tua humanitas potius, quam mea dig-
„ nitas facit) et ego nomen meum ex grati ani-
„ mi officio profiteri debeo, qui poſt multas æ-
„ rumnas, tua liberalitate, Vir ampliſſime! tan-
„ dem hoc conſecutus eſſe videor, ut ad omnes
„ fortunæ caſus, qui varii impendent, aliquid
„ parati ſubſidii (niſi fatalis aliqua calamitas in-
„ terceſſerit) me habere confidam: et hic annus
„ (1556.) cui tu tamquam ſalutare quoddam ſidus
„ affulſiſti, id mihi attulerit, quod per omnem
„ ætatem exhauſti labores non contulerunt".

Sic Accursius *Ammianum Marcellinum* obtulit, eum in hæc verba alloquens: *Nobis ſi quid* (ob editum Marcellinum) *jure optimo deberi cenſeatur, tibi uni, præſtantiſſime Antoni! deferendum, laudi nominique tuo dandum poſtulamus: cuius auctoritate in primis Marcellinum pene novum, iterúmque natum exhibemus.... Qui cum tam magnis animi fortunæque ornamentis cenſearis, ea mihi prope unus Germanorum conſecutus videris, quæ proximos Diis ipſis reddere mortales perhibentur, manſuetudinem, beneficentiam, & loquendi tacendique rationem: ut non injuria, hercle! terrarum arbiter*

biter idemque Princeps optimus (Carolus V.) *hac indole virtutum adductus, tantum tibi ſemper tribuendum judicarit, ut à Conſiliis, quamlibet abſentem, eſſe juſſerit.... Jam quod ad ipſam, unde orſi ſumus, ſtudiorum partem attinet, gratulandum ei arbitramur præſagientes animo, futurum, ut quæ conclamata extorrisque ab his finibus metueretur, incolumitatem tandem poſtliminiumque per te cum primis unum receptura videatur, non provocatorem modo, dum vel meditaris ſemper ipſe aliquid vel ſcribis: ſed dum meditantes vel ſcribentes alios laudibus, honore, patrocinio proſequeris. Auguſtæ. Calend. April.* 1533.

Sic Joannes COCHLÆUS verſam vernaculè *S. Gregorii Nazianzeni Orationem funebrem in ſororem Gorgoniam* eidem dedicavit, addito promiſſo: ſe aliam quoque eiusdem *S. Gregorii Orationem funebrem in Cæſarium fratrem* interpretaturum eſſe, ſicubi priorem *Antonio* probari cognôrit.

Sic memoratus ERASMUS *Xenophontis Hieronem*, ſive *Tyrannum* à ſe editum *Antonio* noſtro, *quem animi decoribus quam imaginibus clariorem, & virtutibus quam opibus ditiorem* eſſe alibi affirmaverat, nuncupavit; quod litterarium munus tam gratum habuit *Noſter*, ut eleganti et officii plena *Epiſtola latina*, quam inter *Eraſmianas*, *Editionis Lugduno-Batavæ*, 1705. *T. III. P. II. p.* 1746. habes, *ingentes gratias* interpreti *agendas* cenſuerit, *eos beatos prædicans, quos egregia Eraſmi Muſa poſteritati commendaret, nullo unquam tempore intermorituros.*

Sic

Sic *Georgius* LOGUS, ſive *à Logau* primæ nobilitatis *Sileſiacæ* Vir *) *Gratii Faliſci & aliorum Cynegetica*, anno 1534. *Venetiis* excuſa, *Noſtro* dedicavit: cuius verba referre hôc locô plane debeo; quod nonnulla, quæ ad *Noſtri* juventutem & ſtudia pertinent, comprehendant; quæ alibi fruſtra quæſiveris: *Equidem, ut ingenue fatear,* Antoni *optime! jam pridem ſæpe negligentiam.... meam tacite mecum reputans ... memetipſe reprehendi; quod cum tu is Vir ſis, ea dignitate, humanitate ac virtute, ut merito à bonis & doctis, & litterarum ſtudioſis omnibus & amandus plurimum ſit & colendus: cumque inſuper privata etiam tua erga me beneficia ac merita ſane non vulgaria extiterint; hactenus tamen neque ſcripſerim ad te quidquam, neque ullum .. grati erga te animi dederim documentum. Etenim cum* Auguſtæ, *quæ tibi patria eſt, annis jam tribus, cùm* Carolus V. *concilium in ea urbe haberet, ego in aula ..* Ferdinandi *verſarer; ſumma me abs te humanitate .. acceptum memini .. neque à te modo, verum etiam à digniſſimo, feſtiviſſimoque Viro* Raymundo Fuccaro *fratre tuo .. Nam ſplendidiſſimis ſæpe conviviis inter ſummos & Principes Viros .. perhonorifice me adhibuiſti in veſtris illis amoeniſſimis & cultiſſimis hortis .. & omni humanitatis genere es proſecutus. Cumque .. propoſitum mihi eſſet, ut ex aulicis moleſtiis in ..* Italiam, *ex qua fatalium temporum calamitate et naufragio excluſus aliquot annis abfueram, poſtliminio .. reverterer ... dediſti tu ultro ac ſponte tua ..* Georgio Hermanno **) *conſan-*

*) V. *Petrum* BURMANNUM in *Præfat.* ad *Poetas Latinos minores.* 4. & *T. II. p.* 443.

**) V. SCHELHORN *l. c. p.* 693. ubi eius *Elogium* habes.

ſanguineo tuo id negotii, ut me procuratoribus tuis qui Venetiis *rationes tuas tractant, diligenter commendaret.... Præter omnes vero, quæ à me, cur tibi debeam, enumeratæ ſunt, cauſſas hæc quoque ad te obſervandum .. incitare me non mediocriter debet; quod cum ea ſis dignitate, ea opum affluentia,... in tantis tamen fortunis .. nunquam intermittis ſtudia litterarum. Neque vero ipſe modo libenter ac multum in his verſari ſoles; ſed eos etiam, qui omne in illis tempus conſumunt ... gratia & favore proſequeris ſingulari.... Idque cum ſemper, tum vero olim* Romæ, *cum ibi eſſes ſub* Leone *pontifice, præſtitiſti; ubi... maxime optimis ſtudiis & honeſtiſſimis artibus incumbere ſolebas, domusque tua à ſummis Viris, & qui tum Romæ ingenii & doctrinæ laudibus florebant, multum & aſſidue frequentabatur: inter quos aliquot domeſtica etiam & familiari conſuetudine conjunctos habuiſti, et ex iis diſertiſſimum* ... Georgium Sauromanum *) & Georgium *item* Sylvanum, *utrumque Sileſium....*

Sic *Ottmarus* LUSCINIUS annô 1528. verſam germanicè *Jacobi* FONTANI, Equitis *Rhodii*, *Narrationem de expugnatâ per Turcas urbe Rhodo* nomini *Noſtri* inſcripſit, gratam faciens de beneficiis prius acceptis commemorationem.

Multa dixi, ſed nondum omnia. Ut Rempublicam patriam perpetuo ac duraturo beneficio ſibi obſtringeret *Antonius*, cognitis fructuoſis Petri CANISII & ſocii eius SECKLERI laboribus: nec non inſperata *Sibyllæ Eberſtainiæ*, *Marci* filii ſui uxoris, & *Urſulæ Liechtenſtainiæ*, uxoris *Georgii*, ſui ex *Raymundo* fratre nepotis, ad avitam Religionem

*) De hoc viro inclytiſſimo vide MEISNERI *Equites Sileſiaci, academ. honorib. claros*, JOVII *Elogia*.

nem converſione, â *Caniſio* effecta, motus de Patribus *Societatis Jeſu* in urbem *Auguſtam* introducendis ſerio cogitavit. Eapropter litteras ad *Societatis* Moderatores *Romam* dedit, ut ſibi Inſtituti illius ratio exactius perſcriberetur, ad quam ædificandi domicilii Gymnaſiique conſilia accommodare poſſet. Mire inde oblectatus eſt *Otho* TRUCHSESSIUS *n*) Epiſcopus *Auguſtanus*: mire LAYNEZIUS Præpoſitus *Societatis*. At dum hoc molitur *Antonius*, graviter decumbere coepit, calculique doloribus confectus diem ſuum obit; quin tamen vel moriens inculcare hæredibus ſuis omiſerit: prius non quieſcerent, quam â ſe cogitata perfeciſſent *o*). Hæc ſunt merita litteraria *Antonii Fuggeri*, quem prædicandum ſibi quoque ſumpſerunt PANTALEO in *Proſopographia*, & *Elias* REUSNERUS in *Auctario Oper. genealog.* quos (ſi lubet) confer.

Haud ſatis ſcio, an operæ pretium facturus ſim, ſi ſequentia addidero. Obſervavi in quodam Librorum, apud *Joannem Gaſtel* quondam Bibliopolam *Pedepontanum* venalium, Catalogo:

Antonii Fuggeri Epigrammata Veterum.
in 8o. *Coloniæ*, 1529.

Cum huiuscemodi *Catalogorum* fides haud firma ſit, Opusque ipſum invenire hactenus nullibi quiverim, rem in medio relinquere cogor.

FUG-

n) De TRUCHSESSIO fuſe egi in *Alphabeto IV. Bibliothecæ* meæ *Auguſtanæ*, ubi vide *p.* 83. & 17.

o) Vide de hoc inferius, in *Marco* FUGGERO. Confer *Hiſtor. Soc. Jeſu, German. ſuper. T. I.* item Libellum: *Origo Collegii Auguſtani Soc. Jeſu.* in 8o.

I.

FUGGER (*Marcus*) patre *Antonio* *) matre *Anna Rechlingeria* ab *Horgaw* natus eſt anno 1529. ad diem XIV. Februarii. Poſtquam adolevit, in exteras regiones miſſus, pluribus annis *Gallias*, *Belgium*, *Hiſpaniam*, *Italiâm*que peragravit, donec anno 1554. domum reverſus eſt *a*). Anno 1557. die 2. Martii *Sibyllam* Comitiſſam *ab Eberſtein* matrimonio ſibi junxit. In Senatum *Auguſtanum* primò adlectus anno 1561. dein *Septem-Virorum* collegio adſcriptus, tandem annô 1576. die 2. Auguſti, ob morum gravitatem amabili cum affabilitate & munificentia conjunctam, ad ſupremum Duûmviratus apicem, utut invitus, aſcendit. In eo munere propter exortas *de Calendario Gregorianô* lites una cum honoris Collega *Antonio Rehlingero* multa tulit, præſertim annô 1582. quô gravis tumultus, obſtetricante *Georgio* MYLIO Superintendente *b*)excitatus fuit.

Fuit *Noſter* duobus Imperatoribus *Maximiliano II.* & *Rudolpho* itidem *II.* à Conſiliis. Bona paterna egregie auxit. Hoſpitale *Waltenhuſanum* decem florenorum millibus de ſuo dotavit. Videns celeberrimæ fundationi, qua Maiores ſui, *Fuggeri*, novam veluti civitatulam (vulgo *Fuggerey*) in ſuburbio *San-Jacobæo* condiderant, ſacram ædiculam deeſſe, grandibus ſane impenſis providit, ut tum Sacellum *S. Marci* honoribus dedicatum ad-

*) De hoc *Antonio* vixdum agere deſii.

a) V. *Præfationem Noſtri* ad *Nicephorum Calliſtum*, à ſe germanice verſum.

b) De *Georg.* MYLIO egi in *Alphabeto V. Bibliothecæ meæ Auguſtanæ*, p. 200.

adſtrueretur: tum ſacerdoti minimum ter per hebdomadam ſacrificaturo ſtipendium conveniens eſſet *c*). Denique, cum præclaris facinoribus inſenuiſſet, Duumviratu *d*) abdicato, anno 1597. die 18. Junii vitam pio fine clauſit, ſepultus ad *SS. Udalricum & Afram*, *Auguſtæ*, in Sacello, quod condiderat vivus, *S. Andreæ*: in quo prius anno 1589. conjugem ſuam fatis ſupremis defunctam compoſuerat. Epitaphium marmori ibidem inciſum, non modo non hyperbolice, ſed nimis quam modeſte, et prope infra verum ac merita ſcriptum *e*) accepit ſequens:

D. O. M.
MARCO. FUGGERO.
BARONI. IN. KIRCHBERG. ET. WEISSENHORN.
QUI. RUDOLPHO. II. A. CONSILIIS. FUIT.
MORES. ET. URBES. HOMINUM. VIDIT.
FAMILIÆ. SUÆ. DECUS. ASSERUIT.
REMPUBLICAM. PERTURBATIS. TEMPORIBUS.
FIDE. AUCTORITATE. PRUDENTIA.
SUSTENTAVIT.
ARTIUM. BONARUM. STUDIOSIS.
EGENTIBUSQUE. PROLIXE. OPITULATUS. EST.
ET.
REM. CATHOLICAM. CORDE. DILEXIT. SUO.
HÆREDES. CURAVERUNT.
OBIIT. XIV. KALEND. JULII.
ANNO. SALVATORIS. M. D. XCVII.

c) V. *Hiſtoriam Soc. Jeſu, Germaniæ ſuperior. T. II. p.* 193.

d) Factum hoc à *Noſtro* anno 1589, poſt dignitatem per *quatuor* luſtra præclariſſime geſtam, fuiſſe non ſatis inter ſe concordantes tradunt BRUCKERUS *l. c. p.* 399. & *Hiſtor. Soc. Jeſu, l. c.* Contra LANGENMANTELIUS in *Hiſtorie des Augſpurgiſchen Regiments. fol.* monet: *Noſtrum* annô 1593. Senatum liquiſſe.

e) V. *Hiſtor. Soc. Jeſu.*

Huic *Epitaphio* addere Verſus, quibus Effigiem *Marci*, in ære inciſam, Poëtarum quidam decorare voluit, argumenti affinitas ſuadet:

MARCE, *decus Patriæ, magnis exercite curis,*
Fuggaricæ lumen, præſidiumque domûs!
Te, ſine voce quidem, vivum pictura referre
Geſtit; at incaſſum ſumitur artis opus.
Næ monimenta Tuî longe maiora ſuperſunt,
Publica quæ teſtis famaque, voxque probat.
Nam tua quem pietas ardens latet, almaque virtus
Illa inopes plenâ prompta levare manu?
Quis Mecœnatem, patria virtute Tuorum,
Te ſummum doctis neſciat eſſe Viris?
Dexteritas, animi robur, prudentia ſolers
Per patriæ infauſtas enituere vices.
Dives opum, faſtûs expers (Res rara) ſuperbi,
Omnibus affatu es ſuavis absque nigro.
Neſcius æquales tibi ſorte odîſſe, minores
Temnere, majores tê reverenter habes.
Quid moror? Exemplar virtutum & Regula morum es:
Vivere quâ magnos convenit usque Viros.
Hæc quia Phidiacus nullus, nec adæquet Apollo,
Vera tibi Effigies FAMA PERENNIS *erit.*

Sed jam propius ad merita *Noſtri* litteraria accedendum eſt. Ut pueri prima litterarum elementa â teneris unguiculis ſtudioſius edocerentur, *Babenhuſæ*, gentilitio *Fuggerorum* oppido, ſcholarum trivialium magiſtro, ad acuendam induſtriam, non mediocriter auxit ſalarium. Ut adultior ætas ad omne litteraturæ genus eo facilius progredi poſſet, nullis curis, nullis ſumptibus pepercit, donec Patribus *Societatis Jeſu* ſtabiles *Auguſtæ* ſe-

des paraviſſet. Atque ad hoc ipſum duplici maxime cauſſâ pellectum eum fuiſſe invenio; *primò*: parentis ſui *Antonii* poſtrema voluntate, quâ hæredes is ſuos moriens adjuraverat, ut negotium iſtud, e cuius mediis curis ipſe fatô raperetur, ad exitum quam certiſſimè deducerent; *ſecunda*: conjugis ſuæ *Sibyllæ* inexſpectato ad catholica ſacra reditu, quem *Petrus* CANISIUS ſuis ſuaſionibus effecerat *f*).

Litteratis plurimum favit *Noſter*, eorumque labores ſedulo adjuvit. Sic *Adolphus* OCCO *III*. *g*) eius in communicandis antiquis *Inſcriptionibus* benevolentiam prædicare non intermiſit. Sic *Guilielmus* XYLANDER *Annales Georgii* CEDRENI *h*) *Noſtro* & *Joanne* FUGGERO obſtetricantibus, produxit in lucem, dicens: *Quod in publicandis veſtro ſumptu bonis libris magnificentiam veſtram patriæ demonſtratis, non id gloriæ, qua abundatis, quærendæ ſtudio, ſed laudatiſſimi p. m. Herois* Antonii Fuggeri, *patris veſtri, legitima quadam ſucceſſione atque imitatione facitis: neque committendum vobis putatis, ut cum aliis in rebus eum patriæ re-*

præ-

f) V. *Ibidem*.

g) In *Inſcription. veter. in Hiſpania repert.*

h) Vide in *Alphabeto VII.* meæ *Biblioth. Auguſt.* in *Catalogo Opp.* XYLANDRI. *N. X.* Errat *Hiſtoria Soc. Jeſu*, *l. c.* dicens: *Noſtrum* latine convertiſſe CEDRENI *Annales*, cui aſſerto ipſe *Operis* titulus aperte contradicit. Errat itidem dicens: *Noſtrum* ex Græco *Nicephorum Calliſtum* traduxiſſe. Maiori fide digna eſt eadem *Hiſtoria*, addens: CEDRENUM et CALLISTUM â *Noſtro* Patribus *Auguſtanis Soc. Jeſu* excutiendos prius, quam vulgarentur, datos fuiſſe, ut ſi quibus in locis *Græcanici Schismatis* aliquid occurreret, eisdem aptæ admonitiones in Lectoris gratiam adderentur; ne is forte incautior fel pro melle ſugeret.

præſentetis, *hoc unico in tam laudabili inſtituto ab eo vos degeneraſſe opinari quisquam poſſit.* Sic *Hieronymus* WOLFIUS eius et Senatûs *Auguſtani* erga ſe munificentiam collaudandam ſibi plane judicavit; de qua habes in *Alphabeto VII. Biblioth. Auguſt.* in *Catalog. Opp.* WOLFII, *No. XVIII.* Et profecto eſſent quamplurima, quæ in hanc rem accumulare poſſem, niſi brevitatis ſectandæ rationem propoſitam mihi haberem. Alios tamen teſtes duos in medium quin inſuper adducam, impetrare à me nequeo, *Hubertum* videlicet GOLTZIUM Virum longe doctiſſimum, & magnum illum *Marcum* VELSERUM noſtrum. *Prior* non ſolum *Theſaurum* ſuum *Rei antiquariæ uberrimum* nomini *inclyti Herois Marci* FUGGERI inſcribendum ſibi cenſuit; ſed et ſequens tum benevolentiæ eius in Eruditos, tum doctrinæ, quâ is ipſe polleret, encomium præclariſſimum & ære perennius ſcribere voluit:

Cum mea ſponte propter ſummum FUGGERORUM *Gentis publice erga omnes Litteratos ſtudium*, *privatim vero tuam erga me benignam & conſtantem voluntatem* (*qua non tantum cum iſtic eſſem*, Numiſmata, *quæ penes te erant*, *inſpicienda dediſti*; *verum etiam abſens abſenti alia nonnulla cum* Hiſpaniarum Coloniis *&* Municipiis *ad me miſiſti*) *vehementer incitarer*, *ut*, *aliquo te Scriptorum meorum genere appellando*, *eam*, *quam poſſem*, *grati animi ſignificationem darem*: *præclaram nunc occaſionem mihi offerri arbitratus ſum*, *quâ egregiam illam animi tui in juvandis rei publicæ ſtudiis virtutem poſteritati conſecrarem*; *ut interim omittam*, *quod vere mihi dicere poſſe videor*: *eum eſſe te*, quem ego propter variam multarum artium cog-

nitionem, & incredibile ac indefeſſum virtutis ac ſcientiæ ſtudium ceteris mortalibus anteponam: *et in quo illa omnia ſplendide eluceant, quæ maxima videri hominibus & præ ceteris eximia conſueverunt*: Auguſtæ *patriæ claritudo*, Fuggerorum *familiæ decus*, Antonii *patris optimi et magnifici Viri ſplendor, fortunarum amplitudo. Quæ cum magna ſint* (*ut re vera ſunt*) hæc tamen omnia perpetuo virtutis ac doctrinæ, quo flores, ſtudio ita obſcuraſti; *ut qui te laudant, hoc in maximis tuis ornamentis ponant, quòd his omnibus, quæ vulgo homines ſuſpiciunt & admirantur, poſthabitis ſolam laudem ex beneficentia, comitate*, multarumque atque egregiarum diſciplinarum notitia *conſecteris. Quibus de rebus ego te* (*ut initio dicere coeperam*, *abſentem ita amare coepi, ut, quem aut propter virtutis opinionem colam magis, aut propter benevolentiæ erga me magnitudinem diligam vehementius, profecto neminem habeam. Quæ cauſſa facit, ut hoc poſteris* (*ad laudem tuam fortaſſis exiguum, ad animi mei fructum, ùt ſentio, non leve*) *meum de te teſtimonium relinquere voluerim: ut & tu, & ceteri, ſi plura aut majora celebrandæ virtuti et alendæ benevolentiæ tuæ præſtare potuiſſem, ſtudioſiſſime præſtiturum me fuiſſe cognoſcatis.... Patere, obſecro! hoc Opuſculum noſtrum in Bibliotheca tua collocari, &, ùt* domus tua honeſtis artibus & ſtudiis hoſpitium, portum verò Litteratis tutiſſimum *præbet; ita lucubrationes* Goltzii *tui ... in penates tuos admitte &c. &c.*

Hæc *Goltzius*. Alter (*Velſerus*) dum *Noſtra antiqua, quæ Auguſtæ Vindelicorum extant, Monumenta* dedicavit, paucioribus quidem, at ſignificantiſſimis verbis monuit ſequentia: *Patriam,*

Mar-

Marce FUGGERE! *quam conſilio & auctoritate ſæpe juviſti, nominis tui ſplendore in hac ſuſcepti Operis parte ornari permittes.... Mihi non fiducia eſt, ſulcare virtutum tuarum pelagus, quod enavigare qui queam? Et ut ſit, perennitatem hinc promittere equidem nullam auſim. Eam facta ipſa tua, atque litterarum ſimul claritas conciliabunt multum meritiſſimo; quando hanc primus laudem in gentem veſtram invexiſti*, UT SCRIBENDA FACERES, ET VERO SCRIBERES *) FACIENDA.

Nec a vero abluſiſſe VELSERUM, evincet â me mox dandus *Catalogus Operum* (quotquot quidem ego indagare quivi hactenus) â *Marco* noſtro editorum:

I. *Die leibliche und geiſtliche Werck der Barmherzigkeit .: durch Julium* ROSCIUM *i*) *Hortinum in Latein beſchriben; aniezo .. in unſer hoch Teutſch gebracht durck H. Marxen* FUGGERN *den Eltern.* in 8o. *Dillingen.* 1589.

II. *Kirchen-Hiſtorie Nicephori Calliſti des hochberuemten chriſtlichen Kirchen-Scribenten in* 18. *Büecher verfaßt, durch Johann Langen aus dem Griechiſchen zu Latein; anizo aber in das Teutſch gebracht durch H. Marxen Fugger den Eltern.* in folio. *II. Vol. Ingolſtadt.* 1588. Editio a *J. A.* FABRICIO in *Biblioth. græc.* prætermiſſa.

Titulum ſequitur Effigies *Noſtri*, ligno inciſa, ſubſcriptos habens Verſus ſequentes:

*) Nimirum tum nondum foras prodiverat *Jo. Jac.* FUGGERI Opus, ſeu *Speculum honoris Domûs Auſtriacæ*; neque etiam in lucem jam tunc prolata fuiſſe *SS. Patrum Opuſcula*, abs *Sidonia Iſabella* FUGGERIN germanice verſa, credibile eſt.

i) De ROSCIO videri poterit NICIUS ERYTHRÆUS in *Pinacotheca*, & FONTANINI in *Antiquit. Hortenſib.*

Nobile Fuggaridum Gentis Caput, hæccine, Marcum
Effigies? Bona cui ſunt numero innumera.
Sacrorum nemo quisquam reverentior: illi
Mens cata, quantum nec Lartiadæ. Quod onus,
Magnarum aſſiduo curarum volvere moles,
Dulcibus et libris ſæpe capi, immo rapi?
Teſtis Calliſtus, *tibi quem, Germania! civem*
Extudit hic Heros, moribus eximiis,
Intrepidus, facilis, juſtus, moderatus, egentûm
Anchora, flos patriæ, Muſicolûmque pater.

Opus *ſingulari ſtudio et induſtria optimaque fide* converſum nulli Principum dedicare voluit *Noſter*, ne *vel adulari cuiquam, vel gloriam captare* videretur: utpote qui *ſua* (ut ait) *tenuitate contentus* viveret. In *præfatione* autem lectu digniſſima de variis Religionis capitibus fuſe diſſerit.

III. *Franciſci* COSTERI *Soc. Jeſu, die vier letzte Ding des Menſchen, verteuſcht durch &c.* in 12o. *Dillingen.* 1588. Ita CLESSIUS in *Elencho Librorum ab* 1500. *ad* 1600. *excuſorum, p.* 141. Vidi etiam Editionem anni 1614. *ibidem* impreſſam, in 12o.

IV. *Von der Geſtuterey, d. i. Ein gründtliche Beſchreibung des Wohlg. H. Marxen Fuggers, wie und wo man ein Geſtut von guten edlen Kriegsroſſen aufrichten, unterhalten &c. ſoll. Francfurt.* in folio. 1584. Ita teſtatur CLESSIUS *l. c. p.* 277. & *Jul. Bernard. de* ROHR in *Biblioth oeconom. p.* 365. Recuſum Opus, *ibidem.* 1611. Illuſtris *Paulus à* STETTEN *junior* in *Kunſt-Gewerb-und Handwercks-Geſchichte. T. II. p.* 173. monet: *Opus hoc multis ligneis figuris ornatum prima vice Auguſtæ anno* 1578. *excuſum, & repetitis editionibus,* de qui-

bus

bus mox dixi, *publicatum fuiſſe, usque dum recentioribus ſimilis argumenti Libris locum cedere & in tenebras abire coactum fuit; ſed ex his denuo anno* 1786. *ad priſtinum ſplendorem à Jo.* Gotth. WOLSTEINIO, *Medicinæ ac Chirurgiæ Doctore Viennæ, excitatum eſſe, qui illud, detracta veteris linguæ germanicæ ruditate, ad noſtræ ætatis guſtum emendatum, Notisque & Parte ſecunda auctum vulgavit* *).

V. *Annalium eccleſiaſticorum: der Kirchen-Hiſtorie Cæſaris* BARONII *Sorani erſter Theil, ins Teutſch gebracht durch &c.* in folio. *Ingolſtadt.* 1594. & in 4to *ibidem.* 1595. *Noſtri* Verſionem, ſaltem ex maxima parte, ſibi adoptavit *Valentinus* LEUCHTIUS *à Falckenberg, Theologus &c.* qui anno 1599. *Moguntiæ* BARONII *Tomum I.* a ſe *in epitomen germanicam* redactum publicavit, in 4to. ubi in *Admonitione* teſtatur: *Noſtrum ſumma dexteritate, fideliqueſtudio Verſionem ſuam adornaviſſe*; eidemque

*) Quoniam de re equeſtri mentio injecta eſt, libet brevibus commemorare Librum, pauciſſimis notum, qui ad hanc aliquo modo pertinere videtur, cuiusdam *Joannis* KREUZBERGER, fabri calcarii & civis *Auguſtani*, a me viſum in Bibliotheca *SS. Udalrici & Afræ* Auguſtæ: *Wahrhafftige und eygentliche Contrafactur, und Formen der Zeimung und Gebiſs zu allerley Mängeln und Unterricht der Pferdt &c. &c. fol.* 1562. Dedicavit hoc Opus *Noſter* MAXIMILIANO II. & haud dubie eidem, circa hæc tempora *Auguſtæ* commoranti, obtulit. *Dedicationem* ſequuntur permultæ Figuræ frænorum, ligno inciſæ, quæ totum Opus conficiunt. In Exemplari dictæ Bibliothecæ cuivis frænorum generi, non typis, ſed tantum calamo (mirum!) adſcriptum legitur, quodnam frænum huic vel illi equo conveniat, et cuinam equorum vitio hoc vel illud fræni genus medeatur.

que etiam ob editum *Nicephorum* meritas laudes dicit.

VI. Huc pertinent *Epiſtolæ duæ Noſtri* ad *Card. Cæſarem* BARONIUM: in quarum prima petit facultatem, edendi *Tomum I. Annalium* â ſe germanice verſum: in *ſecunda* narrat BARONIO, ſe coepiſſe interpretationem ad poſteriorem *Annalium latinorum* editionem (quod BARONIUS ſuaſerat) exigere; etſi, quod illa interpretatio â ſe longius jam perducta fuerit, inde ſibi multum laboris accederet. Reſpondit *Noſtro* Cardinalis, collaudans nobile Verſionis propoſitum, dicensque inter alia k): *Quid gratius, quidve honorificentius accidere potuiſſet, quam ut noſtri Annales eccleſiaſtici in Germanicam linguam germane ac fideliter verterentur & tali tantoque Viro, cuius pura atque ſincera, omnibusque ſpectata l) Religio eſſet (nam tuo vigilantiſſimo ſtudio et conſpicuo vitæ exemplo Catholici in officio continentur, et in hæreſes lapſi ad Eccleſiam revocantur) cuius quoque munificentia Eruditi quique proficiunt, & bonæ litteræ penes Catholicos in Germania coaleſcunt: quorum lucubrationibus tibi dicatis Bibliotheca illa tua, æmula Philadelphicæ, illuſtratur....* Hæc Cardinalis doctiſſimus, totoque terrarum orbe inclytiſſimus in *Noſtri* laudem.

Hæc etiam ſatis ſunto.

FUG-

k) V. BARONII *Epiſtolæ & Opuſcula. Romæ* in 4to. *T. I. p.* 204. & *T. III. p.* 173.

l) Hinc minime audiendus GASSARUS in *Annal. Augsburg.* ad annum 1570. contra *Noſtrum* eiusque uxorem, & *Caniſium* ſcribens. Quæ vero idem paulo poſt de *Contractu* quodam cum *Daniele* KELLERO Doctore Medicinæ, *Chymiæ* ſtudioſo â *Noſtro* inito ſubdit, inter infelicia Artium tentamina relegandum puto.

2.

FUGGERUS (*Otho Henricus*) *Chriſtophori Fuggeri* & *Mariæ* Comitiſſæ *à Schwarzenberg* filius, vitalem haurire auram anno 1592. die undecima *Januarii* coepit. Hunc inter Inſcriptos Academiæ *Ingolſtadienſis* ad annum 1600. referunt *Annales* eiusdem *Academiæ a*), quam, teſte *Jacobo* GRETSERO *) cum germano fratre ſuo *Joanne Erneſto* FUGGERO **) ita frequentavit, ut *Geminorum* cæleſtium ad inſtar (*Caſtoris* videlicet ac *Pollucis*) *luculenta eandem luce ſua colluſtrârint*, Græcaque cum Latinis gnaviter conjungentes, *ac viam virtutis & litterarum paribus veſtigiis terentes* promeriti ſint, ut nominatus GRETSERUS ſuum *Nomenclatorem latino-græco-germanicum*, tum prima vice editum, tum ſecundis curis recognitum, utrumque honori eorundem inſcripſerit. Relicto *Ingolſtadio*, anno 1606. in *Gallias* abiit comite fratre ſuo, ùt ætate ita artibus quoque provectior, grandiores gravioresque Muſas culturus.

Hoc modo cùm inter ſtudia adoleviſſet, dato ad militiam nomine, ſtipendia ſub Rege *Hiſpaniarum* anno 1617. meruit, fuitque in exercitu *D. Petri de Toledo*, quando ille *Vercellas* oppugnavit:

a) *Tom. II. p.* 163.

*) V. *Opp.* eius *Tom. XIII.* & *XVI. p.* 297.

**) Huic ſumma cum laude in Academia *Ingolſtadiana* verſanti, adeo ut etiam eiusdem *Rector* conſalutatus fuerit, GRETSERUS inſuper *Tractatum* ſuum *de Jure & More prohibendi &c. Libros hæreticos & noxios*, anno 1603. conſecravit: *Philippus* autem MENZELIUS Medicinæ Doctor ac Profeſſor *ibidem* ſequentia accinuit:

Heroum ſoboles, *flos*, Arioviſte!
Fuggeridum, *cui noſtra ſuos Academia faſces*
Submittens, *humerum ſummo inſignivit honore*
Effulgentem aſtro & pretioſæ pellis amictu.

navit: qua in expeditione Chiliarcha conſtitutus eſt *b*). Ortô interea in *Bohemia* bello per *Sueviam* exercitum coegit, quem anno 1619. *Paſſuvium*, indéque in *Bohemiam* duxit. Eo bello durante, tum in illa regione, tum in *Palatinatu*, & alibi bellicis expeditionibus interfuit. Annô 1624. copias, auxilio Regi *Hiſpaniarum* futuras in *Belgium* adduxit, & *Bredanæ* obſidioni ſub Archiſtratego *Spinola* adſtitit. Inde in *Germaniam* redux, & *generalis Excubiarum Præfectus* deſignatus, novis Legionibus aliquot, pro *Liga Catholica* contractis, *Haſſiam* occupavit eô conſiliô, ut *Landgravium* ab Acatholicorum partibus diſtraheret: proſperaque initiò fortuna uſus *Haſſicum* militem non ſolum ê ditione *Fuldenſi* expulit, ſed et *Fridlandiam* atque oppidum *Vacham* cepit. Hîs geſtîs, in dominatum *Hirſchfeldicum* movere cogitans, pugnâ ad *Lipſiam* â Cæſarianis infeliciter pugnatâ, copias ſuas *Tilliano* exercitui apud *Frizlariam* jungere compulſus eſt *c*). Anno 1632. â *Maximiliano* Duce *Bavariæ* ad Senatum *Auguſtanum*, Legatus, venit, conſilia de repellenda armorum *Suecicorum* vi in commune collaturus *d*): eodemque anno facta in *Franconiam* irruptione *Rottenburgum* & *Winshemium* expugnavit. Subin exercitum, cui ſolus ſumma ipſe poteſtate præeſſet, in *Suevia* accepit: *Landsſpergâ*que in ditionem

b) *Genealogia Fuggerana*, in fol. 1618. *Auguſtæ* excuſa, ſic ſe exprimit: *Bello, inter Philippum III. Hiſpaniarum Regem, & Sabaudiæ Ducem, ob Ducatum Montisferrati exorto interfuit, quâ Regiæ Majeſtati ſe ita inſinuavit, ut Præfectus peditum aliquot millium Germanorum fuerit deſignatus, annua penſione conſtituta.*

c) V. ISELIN *allgemeines Lexicon.* fol. *Baſel.*

d) V. STETTEN in *Hiſtor. Auguſt.* vernaculè, *T. II.*

nem redacta, rei tormentariæ ſupremo loco præfectus, mox etiam in locum Belliducis *Altringeri* fatis functi ſuccedens, anno 1634. *Bavaricis* & *Ligiſticis* copiis imperator datus eſt. Hac dignitate auctus eôdem anno *Ratisbonam* ſub jugum miſit, & celebri ad *Nördlingam* pugnæ interfuit. Mox dictô annô *Auguſtam* quoque per inſidias intercipere paraverat; ſed hoc eius conſilium, à quodam transfuga proditum, eventu caruit.

Anno 1635. die 1. Aprilis *Auguſtam*, quæ interea cæſarianis copiis ceſſerat, venit *Cæſarei Locumtenentis* munere functurus. Itaque 3. Junii nomine Imperatoris juramentum fidelitatis dici ſibi curavit, & ſexto abhinc die civibus congregatis à ſupremo Imperatoris Commiſſario LANGIO ad *Locumtenentis* dignitatem eſt præſentatus. Haud diu tamen hoc officium geſſit *Noſter*, quod illud tum per ſe odioſum eſſet: tum præſertim parti acatholicæ intolerabile videretur. Ob eam rem Senatus *Auguſtanus* repetita ad Cæſarem Legatione effecit, ut *Locumtenentis* dignitate dimiſſa ſolum Cuſtodiarum civitatis imperium retineret *e*).

Obiit anno 1644. die 13. Octobr. *Auguſtæ*, & ad *SS. Udalrici & Afræ* ſepultus eſt. Eius exſequias accuratiore calamo deſcripſit V. Cl. à STETTEN *f*), quem, ſi lubet, conſulas.

Fuit *Noſter* Imperatori *Romanorum*, Regi *Hiſpaniarum*, Electori *Bavariæ* à ſecretis Conſiliis: *Ferdinandi* Ungariæ & Bohemiæ Regis Camerarius, & Conſiliarius in Regimine Oenipontano, Præfectus *Landspergæ*, Eques aurei Velleris

e) V. *Eundem*, qui hæc omnia fuſius enarrat.
f) Librô citatô, *p.* 628.

leris g). Bona paterna novis ditionibus auxit. Uxores habuit duas, unam *Annam Mareſchalkin* in *Pappenheim*: alteram *Mariam Eliſabetham Druchſeſſiam*, in *Waldpurg;* ex qua plures liberos ſuſcepit, primogenitum *Bonaventuram*, ſecundogenitum *Sebaſtianum* (per quorum manus *P. Jacobus* BALDE Parenti, *Aureo Vellere* decorato, *Panegyricum equeſtrem*, elegantiſſimo Carmine miras *) eius laudes & fortia facta narrante conſcriptum obtulit) tum etiam alios filios filiásque.

Audiviſti brevibus merita *Noſtri* politica ac militaria, Lector! jam eiusdem merita quoque litteraria percipe; namque Marti Minervam raro quidem, ſed memorando exemplo ſociavit, cuius rei teſtem habeo *Burcard. Gotthelf*. STRUVIUM, in *Biblioth. hiſtor. T. I. p.* 958. ſequentia monentem: „ Jam ii commemorandi ſunt, qui belli ſæ„ culi XVII. per omnem Germaniam geſti (Sue„ cici) . . Commentarios ſcripſere, probè ſecun„ dùm partes, quibus ſuere addicti, ſecernendi *h*). „ E Cæſaris & Pontificiorum partibus ſunt *Ever„ hardus Waſſenbergius Embricenſis*, cuius *Flo„ rus germanicus de Bello inter Imperatores Fer„ dinandum II. & III. ac eorum hoſtes geſto ab „ anno* 1617. *ad annum* 1640. *Francofurti.* in 120. „ 1640. & alibi editus vulgaria ſaltem refert, „ odioque totus in Proteſtantes flagrat, vix hìc „ laudandus; nî *Germanica* eius *Verſio Francofur-*

g) V. MEICHELBECK *Chronic. Benedictobur. T. I. p.* 297. & *T. II. p.* 255. 256. & *Genealogiam Fuggeranam.*

*) V. *Opp. poetica Jac.* BALDE, *T. III. p.* 153.

h) Bene hoc quidem monet STRUVIUS; ſed retorqueri illud in eum eiusque ſimiles poteſt.

„ *toſurti* vel potius in *Belgio*, *Amſtelodami* 1647.
„ in 12o. edita fuiſſet; quæ tamen perrara eſt,
„ cui *Fürſtenbergii* Comitis, *vel potius* FUGGERI,
„ *inſignis Belliducis inter Cæſarianos*, *Notæ &*
„ *Animadverſiones acceſſerunt; qui maximis rebus*
„ *adhibitus fuit & pleraſque res*, *teſtis oculatus*,
„ *commemorat*: *qua de cauſſa Gryphius i) cimelii*
„ *inſtar Librum hunc habendum putat*".

i) In *Diſſert. de Scriptor. Hiſtor. Sæc. XVII. illuſtrant.*

3.

FUGGERUS (*Jacobus*) *Joanne*, & *Eliſabetha Nothafftin* parentibus ortus, in huius mortalis vitæ theatrum anno 1567. die 18. Octobris proceſſit. Hic anno 1577. *Ingolſtadii* optimis artibus ſtuduit *a*) ſocio *Chriſtophoro*, fratre: ſubin alia quoque ſcientiarum domicilia, *Italiam* præſertim ac *Romam* viſiſſe eum, minime in dubiis habeo. Cum vere ſtatum eccleſiaſticum ſibi amplectendum eſſe duxiſſet, annô 1592. *Auguſtæ* ſacerdotii ſui primitias in templo *Societatis*, patrio dicas, utpote â *Fuggerana* familia conſtructo, magnifica celebritate atque omnino digna, quæ *Auguſtanorum*, immenſo numero concurrentium, laudabilem curioſitatem excitaret, ſupremo Numini *b*) obtulit, relinquens ſubin eidem Eccleſiæ magni pretii ornamenta, veluti pignus ſignumque prænuncium, quantis olim beneficiis, factus magnus ſacerdotum Princeps, *Societatem* cumulaturus eſſet.

Fuit

a) Vide *Annales Academ. Ingolſtad. T. II. p.* 32.
b) Huic ſolennitati *Collegium Soc. Jeſu Auguſtanum* impreſſis *Chariſmatibus* in 4to. accinuit.

Fuit *Sixti V.* Pontificis maximi *Camerarius*, cathedralium Eccleſiarum *Ratisbonenſis* & *Conſtantienſis* Canonicus: & poſterioris etiam ſummus *Præpoſitus*. Dum ea dignitate fruitur, accidit, ut *Joannes Georgius* ab *Halweil*, Præſul laudatiſſimus, annô 1603. menſe *Decembri* rebus humanis valediceret. Huic Canonicorum ſuffragiis ſucceſſor anno 1604. die 26. Januarii datus *Noſter*, hôc modô & *Epiſcopus Conſtantienſis*, & *S. R. I. Princeps*, *Dominús*que *Augiæ maioris &c.* conſtitutus fuit. Eum dudum ad iſtud honoris culmen populi votîs *ob integerrimos mores*, *& conjunctam cum ſpectata virtute prudentiam* deſtinatum fuiſſe, monet *Hiſtoria Societ. Jeſu. German. Super. T. III. p.* 159. *Gabriel* BUCELINUS *c)* ſcribit: *Inexſpectato electionis ſucceſſu juvenis adhucdum & liberioris ingenii Canonicus*, *Præpoſitus Jacobus* FUGGERUS ... *ſucceſſit*, *cui* (*ipſomet ſæpius plauſibiliter referente Epiſcopo*) *mox ab electione Suffraganeus Balthaſar ſ. m. Principis honorem gratulando ait:* Nunquid, Illuſtriſſime Princeps! alius deinceps eris, quam fueris? *Promiſit*, *ſtipulata quamprimum manu*, *exoſculans ſenis ingenium novus Pontifex*; *& præſtitit*, *tantum mutatus ab illo*, *ut ſydus exin præſtantiſſimorum Præſulum celebrari mereretur d)*. Huc pertinent, quæ in *Chronico Epiſcopatûs Conſtantienſis* apud PISTORIUM in *Scriptor. Rer. germ. T. III. p.* 777. leguntur.: *Eligitur*

c) In *Conſtantia ſacr. & profan. p.* 364.

d) Inaugurationem *Jacobi* Carmine gratulatorio, nomine *Collegii Auguſtani* ſcripto, decantavit *Matthæus* RADERUS (De hoc egi in *Alphabeto V. Bibliothecæ meæ Auguſtanæ*) *Jacobus* GRETSERUS autem ſuum *Bavium & Mævium &c.*) nomini *Noſtri* dedicans celebravit.

ligitur Jacobus ex illuſtriſſima Fuggarorum familia, Joannis magnifici filius, Marci & Chriſtophori magnorum Baronum frater, florenti Vir ætate et magnæ exſpectationis &c.

Noſter, epiſcopali ſublimatus faſtigio, dioeceſin ſibi creditam ab idoneis Viris luſtrari maxime ſtuduit. Eccleſiaſticæ diſciplinæ inſtaurandæ ſtudiô flagrans *Synodum dioeceſanam*, de qua infra pluribûs dicetur, coegit. Proprio ære monaſterium *PP. Capucinorum* à fundamentis excitavit. Elegantiſſimum Collegium *Patrum Societatis Jeſu*, conferentibus in idem opus aliis religioſis Præſulibus, perſoniſque devotis, itidem ab imo ad ſummum apicem perduxit. Hinc GRETSERUS in memorata *Dedicatione* apte monuit: *Simul ac Celſitudo veſtra cathedram* Conſtantienſem *obtinuit, tum remoræ omnes, quæ jam non paucos annos tot catholicæ Religionis amantium vota remoratæ fuerant, ſua quaſi ſponte ceſſerunt; ita ut uno eodemque tempore aperirentur non tantùm illæ ſcholæ, quibus juventus ad cultiores litteras informatur, ſed et illæ, quibus moralis theologia conſcientiis formandis aptiſſima, & dialectica ſeu ars diſſerendi explicatur. Nimirum debebatur hæc laus domûs* Conſtantienſis *in Collegium mutatæ Celſitudini veſtræ ex* Fuggarica *ſtirpe; cuius ut jam pridem laus fuit Collegii* Auguſtæ *erecti rebus propemodum depoſitis & deſperatis: ita in eiusdem beneficio numerabitur Collegii* Conſtantienſis *felix auſpicium, primo ſtatim Celſitudinis veſtræ epiſcopatûs anno factum.* Inſuper (quæ fuit FUGGERORUM indoles, homines *Societatis* in amore, inſtitutum in pretio habere) præter cætera, quæ

Collegio *Conſtantienſi e*) vivus præſtitit, moriens quoque 7000. florenos poſtremæ voluntatis tabulis legavit, in totam univerſim *Societatem* optime affectus & liberalis. Similiter *Ordini S. Benedicti* quam maxime addictus, adeo ut de eo etiam amplectendo ſerie cogitârit *f*), annuos proventus ex *Augienſi* cœnobio tum ſibi obvenientes, tum â Deceſſore *Joanne Georgio* eo quoque fine haud tactos, in eiusdem monaſterii uſum convertit, â fundamentis novum exſtruens; & diſciplinam monaſticam revocari pro virili curans. In iis, quæ ad Dei cultum præcipue proximeque ſpectant, itemque in decoranda Eccleſia ſua cathedrali ſtatuisque argenteis & belliſſimis picturis ornanda paſſim magnificentiſſima liberalitate utens, ampliſſimique patrimonii opes cum redditibus annuis in pios potiſſimum uſus convertens, omnia ſplendida, pretioſa, ſpectatiſſima voluit.

Sic plurimis per 22. annorum ſpatium in epiſcopali munere præclare geſtis, *Conſtantiæ* diem ſupremum pientiſſime clauſit anno 1626. pridie Nonas Martii, humatus in eccleſia, quam vivus (ut dixi) conſtruxerat, *PP. Capucinorum* addito hôc titulô:

JACOBUS EPISCOPUS CONSTANTIENSIS,
DOMINUS AUGIÆ MAIORIS ET OENINGÆ &c.
HÆC REQUIES MEA IN SÆCULUM SÆCULI,
QUONIAM ELEGI EAM. *Pſalm.* 131.

HIC

e) Vide *Hiſtoriam Soc. Jeſu, German. ſuper. T. I. p.* 400.

f) Vide BUCELINUM *l. c. p.* 365.

HIC DEO,
ET
PP. CAPUCINIS
CONDIDI HABITACVLUM:
MIHI
TUMULUM.

ILLATUS SUM IN SEPULCHRUM PATRUM MEORUM. NEMO IMVIDEAT REQUIEM INTER ELECTOS. ELEGI IPSE ABIECTUS ESSE IN HAC DOMO DOMINI g).

Fuit FUGGERUS Princeps ſcientiis apprime excultus. Hinc poetarum quidam de *Noſtro* cecinit:

Ingenium Pallas formavit, & arte polivit.
Linguarum varius manat ab ore lepos.

Fuit pietati & devotioni maximè addictus: œconomiæ adminiſtrandæ ſtudioſiſſimus: utilis omnibus: injurius nemini: pacis & charitatis amantiſſimus: in pauperes liberalis: in ſacras ædes munificus: de Deo & hominibus optime meritus.

Sed ut ad illud, ob quod hæc omnis narratio â me inſtituta eſt, convertar; habentur abs Epiſcopo *noſtro*

I. *Conſtitutiones & Decreta Synodi dioeceſanæ Conſtantienſis edita, ac promulgata die* 20. *Octobris, anno Incarnationis D. N. Jeſu Chriſti M. DC. IX.* in 4to. *Conſtantiæ. Ex typographæo Nicolai Kalt.* 1609. In fine adjiciuntur *Acta Synodi*, inſertis duabus latinis *Orationibus* ad Patres

g) V. KHAMM *Hierarch. Auguſt. P. II. Colleg. p.* 317. 318. ubi tamen dies emortualis, & ætas *Noſtri* male indicatur.

tres conſcriptos habitis (primâ *P. Jacobi* MAIER *S. J.* Theologi, & ſummi Templi *Conſtantienſis* Eccleſiaſtæ: alterâ *D. Leonardi* HAMERER SS. Theologiæ Doctoris, Parochi & Canonici collegiatæ Eccleſiæ ad *S. Stephani*) nec non *Catalogus Perſonarum*, quæ Synodo interfuerunt.

In *Litteris indictionis Synodi* ſequentibus *Noſter* conſilium ſuum exponit: *Nos ab initio ſtatim noſtræ ſuſceptæ paſtoralis curæ de celebranda dioeceſana Synodo, in qua morum & eccleſiaſticæ diſciplinæ reformatio inſtitueretur, exceſſus corrigerentur, & (quantum per horum temporum difficultates fieri poſſet) variæ hæreſes, errores ac ſchiſmata extirparentur, cogitavimus. Quam quidem cogitationem noſtram hactenus variis ex cauſſis impeditam SS. D. N. Paulus Papa V. per ſuæ Sanctitatis & Sedis apoſtolicæ Nuntium, cum poteſtate Legati de latere, apud DD. Catholicos Helvetios commorantem ... D. Ladislaum Comitem de Aquino, Epiſcopum Venafranum ita promovit excitavitque, ut tantæ auctoritati ac ſtimulo, tum etiam ſacris antiquis, & noviſſimis Tridentini Concilii canonibus et decretis contravenire, ab officio noſtro paſtorali alienum duxerimus; ſed neceſſarium omnino, ac valde utile futurum judicaverimus: ſi non obſtantibus etiam multis impedimentis, variisque huius temporis incommoditatibus, quamprimum dioeceſanam Synodum indiceremus &c. &c.*

Extat etiam-hæc *Synodus* in HARZHEMII *Conciliis Germaniæ*, *Tom. VIII. pag.* 822 - 947. ubi *Noſter* non ſolùm debitîs laudibûs afficitur, ſed & *Conradus* PREGIZERUS, male de eo ex HUBNERO ſcribens, notatur. Extat quoque in LUNIGII *Spicilèg. eccleſiaſt. Continuat II. p.* 587.

in

in cuius inſuper *Spicilegio eccleſiaſtico T. III. p.* 473. habes

II. *Diploma Jacobi* noſtri, quô Abbatiæ *Münchrothenſi* certis conditionibûs impertitur Privilegium, *Religioſos ſine prævia inveſtitura Parochiis pro libitu præficiendi*: nec non *Reverſales* eius Abbatiæ ſuper conceſſo Privilegio.

Ceterum de *Synodo* â *Noſtro* habita ſic ſentit BUCELINUS *l. c.* „ Synodum ſoleniſſimam *ſummo* „ *boni publici fructu* in cathedrali Baſilica Con„ ſtantienſi celebravit, diſciplinamque eccleſiaſti„ cam *pulcherrimo exemplo*, *immortali merito* præ„ clare reſtituit". HARZHEMIUS *l. c.* de eadem ſequens judicium tulit: „ In maxima hac celeber„ rimaque Synodo, quam præter duodeviginti „ mitratos Antiſtites, ingentî Clerus uterque fre„ quentiâ illuſtrem fecit, *ſingulare ſuum diſcipli*„ *næ eccleſiaſticæ reſtaurandæ ſtudium, et veræ amo*„ *rem ac æſtimationem Religionis non uno, & coæ*„ *vis & poſteris, monumento Jacobus prodidit*". Parum, poſt auditum duplex hoc judicium, commovebunt (puto) Lectorem, quæ *J. G.* SCHELHORNIUS *junior* in *Sammlung für die Geſchichte. Nördlingen.* 1779. *Vol. I. p.* 244. *ſeqq.* adverſus hanc *Synodum* aculeatius, quam ſolidius ſcripſit; dum *alteram* eius *Editionem*, anno 1624. *Conſtantiæ* procuſam, recenſendam ſibi ſumpſit.

* * *

* * * *

Multa de laudibus *Fuggeranæ* Gentis, eiusque meritis litterariis attuli in medium, Lector benevole! ſed nequaquam omnia. Poſſem namque inſuper memorare alium *Antonium* FUGGERUM, Kirchbergæ & Weiſſenhorni Dominum, *cuius ingenium, naturâ ſagaciſſimum, vario ſtudiorum genere perpolitum, ex ſalutatione Noſtri, non minoris eruditionis quam humanitatis plena, â ſe animadverſum fuiſſe*, docuit *Valerius de* VALERIIS Patricius Venetus, quando *Noſtro* anno 1589. *Auguſtæ* excuſum *Aureum Opus, in quo ea omnia breviter explicantur, quæ Raymundus Lullus tam in Scientiarum Arbore, quam in Arte generali tradit*, in 4to. dedicavit: Cui eidem *Martini* RULANDI *Synonymiam* anno 1589. inſcribens *David* HOESCHELIUS in hæc verba locutus eſt: *Hæc editio nova, Heros inclyte! quum novum Patronum requireret, non potui de alio cogitare, quam eo, qui non ſolum doctrinâ inſtructiſſimus eſſet ipſe, ſed fautor etiam & Mecænas bonarum litterarum; quod de illuſtri Generoſitate tua tam eſt certum, quam quod certiſſimum. Quam enim laudem Philo Ptolemaicæ ſeu Philadelphicæ domui tribuit, eadem illuſtri et heroicæ tuæ, hoc eſt: Fuggeranæ familiæ debetur. Cuius liberalitate et magnificentia ut plurimi ad ſummum eruditionis faſtigium aſcenderunt: ita, beneficio Bibliothecarum eiusdem Tuæ generoſiſſimæ familiæ, ipſæ ingenuæ artes et ſcientiæ incremento ingenti ſunt auctæ. Nihil hic dicam de iis, quos tuo ſumptu feliciter jam in ſtudiis progreſſos eſſe, quos etiamnum progredi, ſcio: nihil de Bibliotheca, quam omni copiâ optimorum librorum illuſtris tua Generoſitas inſtruit.*

Poſ-

Poſſem memorare *Albertum* FUGGERUM *a*), qui anno 1610. *Joannis* ECKII *Commentarios in myſticam Theologiam S. Dionyſii Areopagitæ* in 8o. *Dillingæ* recudi fecit: ubi *Gregorius Hänlin* typographus, dedicans Opus iſtud *Henrico à Knöringen* Epiſcopo *Auguſtano*, de *Noſtro* ſequentia affirmat: *Quanquam etiam D. Alberti* FUGGERI ſumptibus, curis, vigiliis, quas in optimorum, ac præſertim piorum ſcriptorum monumenta inſtauranda confert, *debeamus: quod divinum hoc ... Opus .. lucem denuo aſpicit; cui proinde merito dedicare hanc ſecundam editionem potuiſſem: bona tamen cum eius venia tuæ illam Celſitudini conſecrare juſtas ob cauſſas viſum eſt.*

Poſſem memorare *Chriſtophorum b*) FUGGERUM, ad quem ſpectat Liber à *B. G.* STRUVIO in *Biblioth. hiſtor. T. II. p.* 1285. citatus ſub titulo: *Wohlgegründete Information, Ausfuhrung und Bericht, wie es mit denen zwiſchen den wohlgebohrnen Herrn, Herrn Chriſtoph Fuggern Freyherrn von Kirchberg und Weiſſenhorn, Herrn zu Mindelheim, wie auch dem wohlgebohrnen Herrn, Herrn Wolf Veit von Mindelheim &c. der Mindelheimiſchen Reichs-Lehen und Regalien, auch anderer Fronsbergiſchen Verlaſſenſchafft halber ſchwebender Rechtfertigung, in Grund der Wahrheit eigentlich beſchaffen.* in *folio. Augſpurg.* 1612.

a) Cum duo exſtiterint *Alberti* FUGGERI, unus *Jo. Jacobi* & *Sidoniæ à Colaus*: alter *Marci* & *Sibyllæ Eberſteiniæ* filius; neſcio, utri elogium, ſuperiùs allatum, tribui debeat.

b) *Chriſtophorus* FUGGERUS, *Guilielmi V.* Bavariæ Ducis, filiique eius *Maximiliani*, nec non *Maximiliani* Archiducis Auſtriæ *Camerarius*, natus anno 1566. mundo valedixit anno 1615.

Poſſem memorare *Sigiſmundum* FUGGERUM c) Epiſcopum *Ratisbonenſem*, primum omnium *Fuggerorum* ad paſtoralis dignitatis culmen ob virtutis rerumque geſtarum gloriam evectum, quem *Principem ſumma prudentia et rerum uſu; tuendis Eccleſiæ ſuæ juribus ſcientiâ & animô parem; litteratorum et litterarum amatorem tantum, ut Bibliotheca ipſius* 24000. *Voluminum fuiſſe dicatur; eruditiſſimum, et â ſex linguarum peritia inſtructiſſimum, aliisque virtutibus inclytum* prædicat *Hiſtoria Soc. Jeſu Germaniæ ſuperior. T. II. p.* 331. Quem, absque ſpeciali *Indulto* electum, tamen *ob merita perſonæ* Pontifex eius temporis maximus confirmandum eſſe cenſuit.

Poſſem commemorare *Antonium Ignatium Joſephum* FUGGERUM, qui annô 1711. die 3. Novembris in hanc lucem editus, cum inter pietatis, & litterarum ſtudia creviſſet, ſtatúmque eccleſiaſticum ſibi amplectendum eſſe crediдiſſet, primò Canonicus metropolitanæ Eccleſiæ *Colonienſis* renuntiatus eſt: ubi labente tempore etiam *Scholaſtici* honorem capeſſivit. Anno autem 1756. die 29. Martii in Eccleſiæ *Elvacenſi* ad ſummam *Præpoſiti* dignitatem aſcendit, &, durante regimine, eius Eccleſiæ *Jubilæum decies ſæculare* inſolita pompa ac majeſtate maxima celebravit. Dimiſſa per *Reſignationem*, quam tredecim annorum ſpatio tenuit, *Præpôſitura Elvacenſi* ad Epiſcopatum & S. R. I. Principatum in Eccleſia *Ratis-*

c) *Sigiſmundus Fridericus* FUGGERUS, *Salisburgenſis*, metropolitanæ, aliarumque *cathedralium* Eccleſiarum Canonicus, Decanus, Præpoſitus, tandem Epiſcopus *Ratisbonenſis*, natus eſt anno 1542. denatus vero anno 1600. cum Epiſcopatui non niſi biennio præfuiſſet.

tiſbonenſi anno 1769. die 18. Januarii pervenit: cuius ipſius Eccleſiæ Canonicorum Collegium tres ex Majoribus *Noſtri* dudum ante virtutibus ſuis, ac geſtarum rerum gloria illuſtrârant, nimirum *Marcus* FUGGERUS quà *Præpoſitus d*): dein *Sigiſmundus Fridericus* FUGGERUS, dignus *Joanne Jacobo* patre *e*) filius, paulo ante memoratus, quà *Epiſcopus:* denique *Jacobus* FUGGERUS *f*) quà *Canonicus*. Merito itaque, horum mentionem faciens, *Carolus* SARDAGNA, dum *Noſtro* doctum Opus ſuæ *Theologiæ dogmatico-polemicæ* inſcripſit, monuit ſequentia: *Talis ac tantus cùm ſis, atque eâ ex gente originem ducas, quæ cumprimis Ratisbonenſem, tum alias etiam Germaniæ Eccleſias illuſtravit; mirum non eſt, allatum de nova dignitate tua nuncium ingenti lætitia â bonis omnibus fuiſſe exceptum. Neque enim ſapientiſſimus Deus* tantam ingenii, *pietatis, probitatis*, prudentiæ atque ſapientiæ vim copiamque *in te effudiſſet, niſi ſingulare aliquid ſempiterno & immutabili conſilio ſuo & de te & de Eccleſia ſua moliretur.* Et rurſus: *Immortales ſint Superis gratiæ, quod die* 18. *Januarii* (1769.) *qua B. Petrum Apoſtolorum Principem in Romana cathedra ſedentem veneramur, felicibus ſane auſpiciis epiſcopalis Eccleſiæ Ratisbonenſis cathedra obtigerit tibi, ex quo ſinguli haurirent omnium exempla virtutum. Neque vero illud vehementer mirandum eſt, quod te ſapientiſſimi electores tanto faſtigio parem circumſpexerint, digniſſimumque, qui epiſcopali dignitate fulgeres, judicârint. Occupaſti nimirum hominum famam & publica judicia magnitudine virtu-*

d) Vide *pag.* 5.
e) Vide *pag.* 17.
f) Vide *pag.* 79. 80.

tis, ubertate doctrinæ, *ſplendore generis*, *morum integritate*, *rerum geſtarum gloria*, & *conſtantia felicitatis*; *quâ â compluribus jam annis Elvacenſem tuam Eccleſiam adminiſtraveras. Singuli facile ominabantur*, *talem te futurum Epiſcopum*, *qualem te ſubditis tuis exhibuiſti Præpoſitum.* Profecto tum dominatum *Elvacenſem* Princeps abiens, tum etiam epiſcopatum *Ratisbonenſem* Præſul moriens florentiſſimos reliquit, ab omni ære liberos (etſi erga Subditos ſupra fidem clemens *Elvaci* facile 200000. florenorum millia, quæ exigere jure potuiſſet, non exacta imitando certe exemplô reliquerit) multis bonis noviter acquiſitis auctos, maxima vaſorum ex argento conflatorum, paratæ pecuniæ, et rei frumentariæ copia inſtructos. In miſeros & egenos beneficentiſſimus triginta & unius annorum, quibûs in ſublimi ſtetit, ſpatiô ultra quingenta florenorum millia erogavit: nominisque ſui memoriam ſeræ poſteritati venerabilem fecit, *Elvacum* pium *Legatum* 14000. mille florenorum aſſignans, ex cuius redditibus annuis & pauperibus domi ſuæ tacitâ penuriâ preſſis levamentum, & pueris ad opificia aptis didactrum ſolvendum in promptu eſſet. Decorem domûs Dei diligens Princeps tum varia promiſcue templa pretioſis ornamentis, tum cathedrale *Ratisbonenſe* ſuum argenteis Servatoris e cruce pendentis ſimulacro & candelabris *ſex* magnitudine ac pondere plurimum conſpicuis decoravit — Iam ad litteraria — Bibliothecam aulicam *Elvacenſem*, item Bibliothecas *Seminariorum*, *Jeſuitarum*, *Capucinorum*, quæ *Elvaci* & *Ratisbonæ* ſunt, multis pretioſorum librorum millibus auxit: Præterea Bibliothecam plusquam 30000. Voluminum, una cum ſplendida Collectione pulcherrima-

ſimarum ac rariſſimarum iconum, numerum *quinquaginta millium* ſuperantem, domui *Fuggerano-Glöttenſi* dono generoſe obtulit. Ipſemet, â ſcientiarum cognitione inſtructiſſimus, litteras tum humaniores, tum ſeveriores mire adamavit, nihil antiquius libris eorumque lectione habens. Nam tametſi ipſi â prima juventute debilis admodum fuerit acies oculorum, vix tamen aliam animi oblectationem, præter libros, admittere poſſe videbatur. Hos diurna nocturnaque verſabat manu: His, quidquid a ſacris, aliisque ſtatus functionibus reliquum erat temporis, omne ſacrabat: Hos captandæ liberioris auræ gratiâ ambulatum exiens comites, hos ſolus prandens cænansve commenſales habebat, eorumque lectione cibos, quorum parciſſimus fuit, condiebat: quamdiu oculi officium non negavêre, quod ultimis 12. vitæ annis *Noſtro* contigit: quin tamen ob id lectionem omittendam, ſed potius, quod ipſe per ſe jam non valeret, per alios, quibus prælegendi officium injunxerat, præſtandum eſſe cenſuerit. Neque vero, quod multi ſolent, multa volante percurrebat oculo; ſed ita ſe, dum lectioni vacabat, libris immergebat, ut prope nihil adverteret eorum, quæ circa ſe gerebantur. Hinc nata illa Principis iſtius eruditio tam ampla, tam vaſta, ut de re quacunque, in colloquium adducta, non copioſe magis, quam ſolide ſapienterque ad audientium omnium ſtuporem diſſereret, maxime cum ſermo de Hiſtoria ſeu Eccleſiæ ſeu Imperii incidiſſet. Hinc provocans ad doctrinam *Noſtri* ſupra laudatus SARDAGNA ſequentia addidit: *Tu conatus hoſce theologicos non modo dignitate nominis tui illuſtrare po-*

tes, *ſed et* ingenio expendere: & auctoritate tua veluti teſtimonio, de quo dubitare non licet, obſignare: *denique* graviſſimâ ſententiâ tua *a falſis & malitioſis imperitorum aut invidorum judiciis ac vituperationibus vindicare* — Satis! — Vitam, quam pientiſſime vixerat, anno 1787. die 15. Februarii fine pientiſſimo conſummavit *Ratisbonæ*, ingenti ſui relicto deſiderio, Princeps ob virtutem manſuetudinem, prudentiam, eruditionem ſummis æque ac infimis chariſſimus.

Poſſem hæc *g*) quidem, tum alia plura; ſed metuens, ne limites excedat oratio, vela contraho, & ſequentibus MARTIAIEM, *VIII. Epigramm.* 56. imitando finio:

Dederis ſi MECOENATES
FVGGERIS *ſimiles, non deerunt hercle!* MARONES.

g) Noſtra quoque ætate genti *Fuggeranæ* laus ab eruditione, & amore doctrinæ perdurat, quam nuper admodum novo ſpecimine *Philippus Carolus* FUGGERUS S. R. I. Comes *a Kirchheim* J. V. Doctor, Electori *Moguntino* â Cubiculis, excitavit edito Libello: *Abhandlung über die Grenzen der dem hohen Kurthume Mainz über den Mainſtrom von Lohr bis an deſſen Ergieſſung in den Rhein zuſtehenden Oberherrſchaft.* in 8o. *Mainz*. 1786.

HERT-

HERTFELDER (*Bernardus*)
Abbas San-Udalricanus.

Bernardus HERTFELDERUS de *Hettingen*, Nobilis *Suevus*, anno â partu Virginis MDLXXXVII. primam lucem aſpexit: qui, poſtquam adoleverat, cænobium *SS. Udalrici & Afræ*, *Auguſtæ*, ſub regimine Abbatis *Joannis* MERCK *Mindelheimenſis* ingreſſus, annô MDCIV. ad diem 12. Martii Religionis *Benedictinæ* pio ſeſe ſacramento obſtrinxit *a*). Biennio poſt (1606.) in Academiam *Dillinganam* juſſu Superiorum abiens *Rhetoricæ* ſtuduit: annóque ſequenti ſub *Georgio* HOLZHAIO *Soc. Jeſu*, *Viro* (ut ait) *multæ & doctrinæ & pietatis*, tum Philoſophiæ in memorata *Univerſitate* Profeſſore publico *b*) *Logices* præceptis ingenium excoluit. A Logica in *Phyſicam* gradum movens anno MDCVIII. ſub eodem HOLZHAIO *Theſes phyſicas de Corpore naturali ſimpliciter accepto* publica diſputatione ventilavit, uti teſtatum reliquit *Elias* EHINGERUS in *Catalogo Biblioth. Reipubl. Auguſt. p.* 839. 840. Manſit autem *Noſter Dillingæ* usque in annum MDIX. quo ad finem vergente *Romam* petere juſſus eſt, *theologicis* doctrinis in *Collegio S. Apollinaris* imbuendus. Hinc illum inter *Viros illuſtres Collegii Germanici* nominare minime intermiſit *Julius* CORDARA in *Hiſtor.* eiusdem *Collegii p.* 211. Ibi ſacris litteris impigre ſtudens., anno MDCXII. ſacerdotii honore auge-

a) *Corbin.* KHAMM. *Hierarch. Auguſt. P. III. Regul. p.* 137.

b) De Viro hoc eiusque Scriptis ALLEGAMBIUS in *Biblioth. Script. S. J.* & alii videri poterunt.

augetur. Ex Urbe, poſt abſoluta ſtudia, exunte anno MDXIII. *Auguſtam c*) reveℂtus, paulo poſt gravibus negotiis adhiberi cœpit: annóque MDCXV. die 2. Decembris *ob egregias animi corporisque dotes* aſceterii ſui *Prior* (ut aiunt) conſtitutus fuit.

Quemadmodum *Noſter* officii ſibi commiſſi partes probe impleviſſe, ita etiam horas ſubſecivas litteris gnaviter impendiſſe cenſendus eſt. Dicaviſſe autem eum maxime ſtudia ſua Hiſtoriæ monaſterii ſui & Templi *San - Udalricani* illuſtrandæ, confirmat *Opus*, quod ſub titulo: *Baſilica S. Udalrici & Afræ*, anno MDCXXVII. prima vice vulgavit *d*): poſtea vero, ſub incudem revocatum, repetitis typis foras produxit.

Hæc inter atræ nubes, a ſeptentrionali cæli tractu irrumpentes, in ſævam belli tempeſtatem glomerabantur, quæ demum vehementi effuſa impetu, diu *Germaniæ* propemodum univerſæ, caliginoſæ noctis inſtar incubuit, Marte *Suecico* omnia ferro & igni miſcente. Hunc vitare volens, temporíque cedendum ratus *Joannes* MERCK Abbas hoſtili exercitu *Auguſtanæ* urbi imminente, anno 1632. *Halam*, non ignobile comitatûs *Tyrolenſis* oppidum, tetendit. Sed, procellam belli fugiens, mortis tela fugere haud potuit: nam *Halâ* ad monaſterium *montis S. Georgii* pergens, deſtitutus ſub ipſo itinere viribus, in pago *Schwaz* morbô ſupre-

c) Didici hæc omnia ex *Epiſtolis MSStis* â *Noſtro* ad *Carol.* STENGELIUM tum *Dillingâ* tum *Româ* miſſis. *Stengelii* autem mox nominati Vitam fuſiſſime deſcripſi in *Bibliothecæ* huius *Auguſtanæ Alphabeto III.* â *p.* 133-181.

d) V. LIPENII *Biblioth. theolog. T. I. p.* 108. STETTEN *Hiſtorie von Augſpurg*, in *Vorbericht von Script. Rerum Auguſtan. T. I.*

ſupremò decubuit, extinctus die 21. Julii anni prædicti. Eo triſti nuncio *Auguſtam* perlato, *Capitulares* nil cunctantes, quòd moram omnem illis periculoſis temporibus monaſterio exitioſiſſimam fore, jure verebantur, unanimi calculo *Bernardum* noſtrum in cœnobii *Adminiſtratorem* (*Abbatem* namque creari, multæ tum circumſtantiæ vetabant) die 9. Auguſti conſtituerunt *e*).

Quæ, quantáque HERTFELDERUS noſter *Adminiſtratoris* dignitate non tam ornatus, quam oneratus, difficillimis illis temporibus, patriaque urbe â *Suecorum* copiis toto *triennii* ſpatio occupata pati coactus fuerit, quis digne fando explicet? Seceſſerat ex civitate anno 1633. ad diem 19. Maii univerſus Clerus: parochiæ parochis, arbitris conſcientiæ aſceteria Sanctimonialium deficiebant: cathedræ oratores ſacros, grex Fidelium paſtores nullos habebant. Spiritualibus hiſce malis corporales quoque calamitates acceſſerant, peſtis ſcilicet ac fames. In tantis patriæ malis ad conſananda Religionis vulnera remanens, Prælatus eccleſiaſticus, *Bernardus* noſter, ampliſſima in id â RRmo. Epiſcopi Vicario generali ſolvendi, ligandi, approbandi, diſpenſandique poteſtate munitus, cum ſuis monachis rem catholicam univerſam rexit atque adminiſtravit, parochiis parochos è ſuorum coetu dando: rudes chriſtianæ doctrinæ elementis imbuendo: ſingulis diebus dominicis ac feſtis populum publice docendo, & ſalubribus priſcæ Fidei præceptis obarmando: denique omnibus modis, ut Religio ſancta (quantum id fieri pote-

e) KHAMM in *Hierarch. Auguſt. P. III. Reg. p.* 132. 137. qui omnia fuſius exſequitur.

poterat) in afflicta urbe ſarta tectaque conſervaretur, allaborando *f*).

Quis aliud in animum inducat ſuum, quam Virum, tantis curis pro Religione excubantem, omnium calculos præconiáque referre debuiſſe? Nequaquam retulit: contra acriter impetitus eſt. *Potiſſimum Regulares æmuli nonnulli in vulgus ſpargebant: Bernardum noſtrum eiusque monachos poteſtate Sacramenta adminiſtrandi &c. &c. eſſe privatos.* Sed *hæc dicteria acceptis Fueſſâ, pagô ad fauces, quibus Tyrolis aditur, ſitô, â Chriſtophoro ab Auw Præpoſito, & Zacharia Furtenbachio Decano Eccleſiæ cathedralis Auguſtanæ Litteris facile eluſit Bernardus. Hac tempeſtate vixdum depulſa, mox alia eâque gravior, quippe â Viris præſtantiſſimis ob Juramentum, quod Suecorum regi monachi San-Udalricani præſtiterant, excitata* HERTFELDERUM *feriit.* Fuſe iſta omnia *Corbinianus* KHAMMIUS in *Hierarch. Auguſtan. P. III. Reg. p.* 140. *ſeqq.* narrat, purgat, propugnat: ad quem ipſum Lectorem benevolum remitto. Permulta quoque, et lectu jucunda de hoc argumento diſcet, cuicunque datum fuerit *Adverſaria Hertfelderiana MSSta.* quæ adhucdum in Bibliotheca cœnobii ſervantur, inſpicere: de quibus inferius ſermo redibit.

Tandem poſt triſtia nubila gratior Phæbus, poſt diutinam malorum caliginem lux ſerenior *Auguſtanæ* urbi affulgere coepit, infeſto hoſte â patriis mænibus diſcedente. Quare (quod prius per temporum iniquitatem fieri haud poterat) anno MDCXXXV. die 21. Maii *Bernardus* ex *Adminiſtratore* in *Abbatem* unanimi *Capitularium* voto jure ac merito creatus, & ab *Henrico de Knöringen*

(*f Ibidem. p.* 138.)

ringen confirmatus, ad diem 7. Auguſti in Feſto *S. Afræ* mitram accepit. Quibus peractis non ſolum privata domeſticorum, ſed & publica exterorum vota in *Bernardi* noſtri honorem conſpirare: ab Epiſcopo *Auguſtano* ſupra nominato, & Clericis, â Magiſtratu *Auguſtano* & civibus de munere apoſtolico miris divinæ providentiæ auſpiciis, proſperisque admodum ſucceſſibus geſto, de ærumnis fortiter exantlatis, de exhauſtis vitæ periculis, de ſuperatis laboribus, deque reportatis animarum lucris ſolennes, creberrimæ, exoptatatiſſimæ gratulationes fieri: grates ampliſſimæ impenſiſſimæque cominus & eminus referri: offerri undique cultus & obſequia: epiſtolæ cultiſſimæ omnique reverentia plenæ turmatim advolare. Quarum in numero præcipue obſervari merentur Litteræ *Nicolai* RIDOLFI toti *Prædicatorum* Ordini generali ſupremaque poteſtate præfecti *Româ* miſſæ, quibus *Bernardo* noſtro de ſollicitudine Monialibus ad *S. Catharinam* acerbis illis temporibus impenſa plurimas gratias agit, ampliſſimúmque ei encomium ſcribit: quod, *benedicente ſanctiſſimo Patre Benedicto, tum huius Divi; tum ſuo ipſius ſtemmate nobili digniſſimas res heroico pectore geſſiſſet* g). Certe tantâ per *Europæ* regiones bene factorum gloriâ inclaruit *Noſter*, ut ei & *Alexander VII.* Pontifex ſummus *purpurati* Eccleſiæ *Patris*: et *Ferdinandus III.* *S. R. I. Principis* dignitatem (licet â *Noſtro* humilitatis ergò non acceptatas) ultro offerre minime gravati ſint *).

Fuit

g) *Ibidem.* p. 151. 152.
*) V. *Dedicationem* Libri: *Neu - erweckter Andachts-Eifer* &c. 4to. *Augſpurg.* 1699.

Fuit autem HERTFELDERUS *noſter*, *Vir corpore decoro proceroque*, *moribus gravis*, *litterarum humaniorum ſeveriorumque peritia clarus*, *ore facundus ac potens*, *ſollers*, *prudens*, *affatu humanus*, *erga omnes officioſus*, *in agendis rebus providus*, *celer*, *animoſus*, *felix*.

Quæ *Bernardus* abbatiali dignitate decoratus, & tranquilliora nactus tempora ad Eccleſiæ, Ordinis *Benedictini*, ſui denique monaſterii utilitatem ac honorem præclare geſſerit: quomodo annô MDCXLIII. litem, *Epiſcopum* inter & *Monaſterium San - Udalricanum*; ſuper huius *ſtatu immediato Imperii & Hauſtettenſe Dominium* cauſſas criminales concernens, anno 1573. excitatam & per 70. annos in dicaſteriis agitatam amica compoſitione extinxerit: quomodo anno MDCXLIV. Hofmarchiam (ut aiunt) *Daſingen* cum omnibus Juribus ac privilegiis coemptam monaſterio univerit: quomodo anno MDCXLVIII. pulſis per pacem *Monaſterienſem* belli cunctis terroribus templum *San-Udalricanum* ſplendidius reddiderit: quomodo anno MDCLI. â *Ferdinando III.* Romanorum Imperatore omnium monaſterii privilegiorum confirmationem impetrârit: quomodo anno MDCLV. cœnobium *Liezheimenſe*, â *Philippo Wilhelmo*, Duce *Neoburgico - Palatino* receptum, Ordini *Benedictino* vindicaverit, e ruinis excitarit, & reſtituere ſtuduerit: quomodo, ab Epiſcopo *Viſitator* monaſteriorum Ordinis *S. Benedicti* per dioeceſin conſtitutus, in regulari diſciplina, per belli *Suecici* turbas multum collapſa, reſtituenda plurimum allaboraverit: multaque alia egregia facinora patraverit: hæc omnia accuratius diſces, Lector! ex *Corb.* KHAMMII *Hierarchia Auguſtana*, *P. III.*

Reg.

Reg. cuius non ſolum auctoritate, ſed ipſis adeo verbis in hac narratione multum utor.

Iſtud ſilentio præterire nequeo, quod maxime ad litterarias *Noſtri* laudes pertinere videtur: ſcilicet eundem non ſolum in almæ *Univerſitatis Salisburgenſis Præſidem* fuiſſe electum, ſed etiam, pro ſuſcepti Præſidii ratione, eius *Academiæ* ſtudia inſigniter adjuviſſe, *quatuor* e ſuis cœnobitis Profeſſores in ſtudioſæ juventutis emolumentum eò ablegando. Fuerunt hi *Sympertus* FISCHER *h*), *Bernardus* HOEFTER *i*) *Laurentius* MAYR *k*) & *Bonifacius* WELZENMILLER *l*). Præterea in ſuo monaſterio litteras earumque cultum haud mediocriter fovit; cuius rei evidenti argumento ſunt docti incolæ aſceterii *San - Udalricani*, qui ad *Noſtri* tempora referri debent: et quos inferius pro meritis celebrare non intermittam. Sunt illi ſupradictus *Sympertus* FISCHER, *Reginbaldus* MOEHNER, *Petrus* PFEIFFER, aliique plures — Sed ad *Bernardum* redeo.

Inter bellorum turbines, inter gravia negotia, inter egregia facta ſenectus HERTFELDERO obrepſit. Agebatur annus MDCLXII. cum *Noſter*, poſtquam anno priori (1661.) in monaſterio *Benedicto - Burano* novi Abbatis *Amandi* electioni quà *Scrutator* interfuit *m*), ſupremo Numini ſacroſanctam hoſtiam jam *Sacerdos jubilæus* inter muſicos

h) De hoc paulo inferius pauca afferam.

i) HOEFTERUM inter *Scriptores monaſterii ſui* annumerat *Khammius l. c.* in *Indice I.* verbo: *Scriptores*; ſed nullum eius *Opus* diſtincte notat, uti nec *Hiſtoria Univerſitatis Salisburgenſis*, *p.* 304.

k) Si lubet, conſule de hoc KHAMMIUM *l. c. p.* 157.

l) Vide, ſi placet, *ibidem*.

m) MEICHELBECK *Chronic. Benedicto - buran.*

concentus, communesque omnium applauſus & feſtivas aggratulationes obtulit: ſed nec diu poſtea ſupervixit; namque anno MDCLXIV. poſt relicta ubique illuſtria geſtorum monumenta, cum abbatialem clavum per *triginta duo* annorum ſpatia tenuiſſet, calida febri correptus & graviſſimis doloribus biduanaque agonia conflictatus, luctantem animam in manus Creatoris ſui conſignavit die 14. Maii: anno ætatis 77. Profeſſionis 60. ſacerdotii 52. Humatus in templo cœnobii ſui, honorificentiſſimum accepit *Epitaphium* ſequens:

CAUTE VIATOR! PEDEM SISTE.
HIC IACET
GEMMA ORDINIS, DISCIPLINÆ SPECULUM,
BERNARDUS
ABBAS
IMPERIALIS HUIUS MONASTERII
UNDEQUINQUAGESIMUS;
AT INTER PRIMOS MEMORANDUS,
SI VIRTUTEM ET MERITA CENSES.
S. C. M. CONSILIARIUS ET SACELLANUS
UTROQUE SE DIGNUM TITULO
PRUDENTIA ET PIETATE
PROBAVIT.
HONORES TAMEN CUM NULLOS QUÆRERET,
PASSIM INVENIRET, RARUM HONORATÆ
HUMILITATIS EXEMPLUM FULSIT.
PRÆLATUM MANSUETUDO, VIRUM PATIENTIA
OSTENDIT
MOBILI AD DEI NUTUM ANIMO,
AD FORTUNÆ CASUS IMMOTO,
NEC INTER PROSPERA ELATO,
NEC INTER ADVERSA DEIECTO.

NAC-

NACTUS
INTER MAXIMOS BELLORUM TURBINES
CLAVUM,
CUM
VARIA FORTUNA,
CONSTANTI VIRTUTE,
PERENNI LAUDE,
ANNOS XXXII. TENUISSET,
TANDEM
AD PORTUM ÆTERNITATIS
IN PACE QUIEVIT.
MORTUUS PRIDIE IDUS MAIAS, A. MDCLXIV.
AETAT. SUÆ LXXVII. PROFESS. LX. SACERD. LII.
CUIUS
VIRTUS UT AD EXEMPLUM,
MERITA AD FAMAM POSTHUMAM
PERENNARENT,
EIDEM
MERITISSIMO ANTECESSORI
OPTIMO PATRI
HOC MONUMENTUM
GREGORIUS ABBAS
GRATUS, MEMOR
POSUIT.

Hæc de vita, Meritisque HERTFELDERI — jam de Scriptis eiusdem.

I. *Baſilica SS. Udalrici & Afræ, Imperialis Monaſterii Ord. S. Benedicti Auguſtæ Vindelicorum, hiſtorice deſcripta. Auguſtæ Vindel.* 1627.

II. Idem Opus. *Editio ſecunda auctior.* c. fig. æneis. in *folio. Auguſtæ Vindel. Typis Andreæ Apergeri.* 1653. Summa Operis, quod *præclarum & inſigne* vocare non dubitat *Hiſtoria litteraria Ord. S. Bened. T. IV. p.* 540. & quod *IV. Partibûs* ab-

ſolvitur, hæc eſt; ut verba *Præfationis* interponam: „ *Pars prima* ſitum, originem, incrementa & decrementa Loci, eiusque quidquid eſt „ celebre, enarrat. *Pars ſecunda* in penetralia „ ducit, & quæ illic ſacra & antiqua adſervantur, „ oculis ſpectanda ſubjicit & explicat. *Pars tertia* temporis rationem declarat ab initio plantatæ ibi chriſtianæ Religionis, conſiderata ſimul „ Abbatum huius cœnobii ſerie. *Quarta Pars*, noviſſime adjecta, ea potiſſimum, & paulo fuſius „ complectitur, quæ ab annis retro triginta ac „ circiter, noviſſimis bellorum temporibus, Auguſtæ & locis adſitis contigêre". Huius *quartæ partis* titulus ſequens eſt: *Exegeſis Rerum Sueco-Auguſtanarum à quodam præſente teſte fideliter olim deſcripta, nunc publici juris facta &c.* Iſtam *Exegeſin Paulus à* STETTEN ſenior *n*) *Carolo* STENGELIO adſcribit, ſed perperam; nam KHAMMIUS, qui *Noſtro* adhucdum ad gubernacula cænobii ſedente vitam religioſam amplexus eſt, & Scriptor domeſticus, *loco* ſæpius *citato*, *p.* 158. eam HERTFELDERO diſerte adtribuit; inſuper & *tituli* verba: *à quodam præſente teſte*: ſatis declarant; STENGELIUM, utpote qui jam annô 1630. ad regenda monaſterii *Anhuſani* gubernacula ex urbe *Auguſtâ* receſſerat, belli autem *Suecici* temporibus per *Tyrolim*, *Auſtriam* &c. exulem vitam egit, dictæ *Exegeſis* auctorem eſſe non poſſe *o*). Optime autem in rem præſentem monet memoratus *Paulus à* STETTEN *p*) hanc *Exegeſin*, etiam in *Germani-*

cum

n) In *Chronica Auguſtana* vernacula *T. II.* In *Vorbericht von Script. Rer. Auguſt. A. No.* 8. 9.

o) V. *Bibliothecæ* meæ *Auguſtanæ Alphab. III. p.* 138. 139. 181.

p) *Locô* mox laudato.

cum idioma verſam, foras prodiviſſe ſequenti epigraphe: *Summariſcher Verlauffs-Begriff, oder kurze wahrhaffte Hiſtorie* Schwediſcher *Augſpurgiſchen denckwürdigen Sachen.* 1653. Quod vero idem Auctor addit (*ac ſi in iſta Exegeſi nimis amarulentæ accuſationes, phraſesque acerbiores adverſus Confeſſionis Auguſtanæ aſſeclas contineantur: atque ob id de data Libri imprimendi facultate Senatum acatholicum graviter conqueſtum fuiſſe*) de hoc plura dicere, non eſt inſtituti Operis. Nec etiam vacat refellere, quæ in WEGELINI *Theſauro Rer. Suev. T. II. p. XXV.* contra iſtum *Librum* afferuntur, ſcripta â (neſcio) quo.

Porro doctos HERTFELDERI labores anno 1712. utpote anno introductæ in monaſterium *San-Udalricanum* Religionis Benedictinæ *ſepties jubilæo* in lucem denuo (reſectis tamen nonnullis, & *Parte IV.* penitus omiſſa, aliis autem viciſſim additis) protraxit, germanice verſos, eius loci Cœnobita minime indoctus *P. Romanus* KISTLER *q*) eisque

G 4 ſequen-

q) *Romanus* KISTLER *Auguſtanus*, Regulam *S. Benedicti* in cœnobio *San-Udalricano*, *Auguſtæ* Profeſſus edidit. I. *Opus ſupra-memoratum*, quod, tum *S. Supellectilis Cuſtos* exſiſtens, ut ſuam quoque ſymbolam ad eam ſolennitatem decorandam conferret, Abbati *Wilibaldo* conſecravit. II. Vulgavit, jam *Profeſſor emeritus*, ex *Italico* alicuius Anonymi *è Societate Jeſu*, in Latinum â ſe verſam, auctam *Recollectionem ſpiritualem, ſive Solitudinem SS. Exercitiorum. Auguſtæ* in 8o. 1739. III. Publicavit Libellum vernaculum: *Beneficia & Gratiæ interventu B. Virginis Deiparæ & S. Simberti Patroni Auguſtani recepta.* in 8o. *Auguſtæ.* 1737. Eius Epitaphium in periſtylio Eccleſiæ eſt ſequens:

Anno MDCCXLV. die VIII. Auguſti. Obiit P. R. P. Romanus Kiſtler liberi ac imperialis monaſterii huius Profeſſus. Ætatis LXI. S. Profeſſionis XLIII. Sacerdotii XXXVII. Cuius anima requieſcat in pace.

Vi-

ſequentem *titulum* præfixit: *Baſilica, das iſt: Herrliche Kirchen des frey-Reichs-Kloſters S. Ulrich und Afræ in Augſpurg .. in Kupfer vorgeſtelt beſchrieben, aus Latein in Teutſch überſetzt und vermehrt.* in *folio. Anno jubilæo.* 1712.

III. *Scala coeli, ſive Meditationes piæ & utiles de Vita, Doctrina, Paſſione & Reſurrectione D. N. Jeſu Chriſti.* in 120. *Auguſtæ Vindel. Typis Andr. Apergeri* 1655. Dicavit *Noſter* has *Meditationes* à quodam Patre *Societatis Jeſu*, quocum multum ac frequenter de rebus ad ſpiritualem vitam conducentibus egerat, acceptas: a ſe vero maxime in uſum Tyronum religioſorum editas *Fratribus ac Filiis ſuis* monaſterii *San-Udalricani.*

IV. His addi debet *Volumen MSStum.* in *folio*, hodiedum in Bibliotheca *San-Udalricana* aſſervatum, quod (ut ſupra monui) *Adverſaria Hertfelderiana* dicas. Habet *Volumen* iſtud in tergo epigraphen ſequentem: *Bernardi Abbatis Acta Suecico-Auguſtana.* Paulo inferius alia epigraphe viſitur, ſed litteris oculorum aciem tam fugientibus, ut nihil veri colligi inde poſſet, niſi dubitantibus Codicis *Folium CCCLXXXVI.* ſubveniret, ex quo diſcimus, eam ad *Reginbaldum* MOEHNERUM pertinere. In *tegumento Voluminis* apparent *Inſignia Bernardi*; ſupra hæc litteræ *B. H. A.* (ſcilicet *Bernardus Hertfelder Abbas*) infra hæc numerus *anni* 1643. Contenta *Voluminis* ſunt, quæ ſequuntur: 1. *Triennium Sueco-Auguſtanum.* Ex hoc *Exegeſis* ſuperius *N. II.* indicata, nonnullis tamen omiſſis, decerpta eſt. 2. *Formula Juramenti à Conventu San-Udalricano Suecorum*

Regi

Vide *Hiſtoriam litterariam Ord. S. Benedicti. T. IV. p.* 423. 540. 687.

Regi præſtiti, una cum variis variorum *Theologorum*, etiam Italorum, & Academiæ *Salisburgenſis Reſponſis* &c. &c. 3. *Diarium Suecico - Auguſtanum*, ſive *Facta Suecica* ab die 26. Mart. anni 1632. usque ad diem 6. Aprilis anni 1635. *germanica lingua* ſcripta, & collecta, uti *pag.* 386. apertis verbis dicitur, à *Reginbaldo* MOEHNERO Cœnobita San - Udalricano.

Finito *Bernardi* Abbatis elogio, ad ceterorum eius ætatis Aſcetarum laudes deſcribendas, facti memor promiſſi, calamum transfero.

Sympertus FISCHER *Auguſtanus*, Regulam *S. Benedicti* in patrio *SS. Udalrici & Afræ* monaſterio amplexus, labente tempore *Salisburgum* (ut ſuperiùs monui) abs *Bernardo* Abbate miſſus eſt. In ea clariſſima *Univerſitate* anno 1642. *Præfectum ſcholarum* egit, ſimúlque *Matheſeos* elementa diſcipulis ſuis explanavit. *Ethicam* & *Hiſtoriam* ab anno 1643. usque ad annum 1650. *Philoſophiam* autem *naturalem* annis intermediis 1645. & 1646 docuit. Per illud temporis ſpatium academicos honores anno 1646. 5. Idid. Julii Baccalaureis XXVII. anno 1647. Idib. Octobris Magiſtris XV. eſt impertitus, variis lucubrationibus prælo *Salisburgenſi* editis clarum nomen adeptus. Domum redux *Subprioris* munus geſſit, annóque 1651. die 27. Novembr. *Prior* renuntiatus exacti Aſcetæ ſpeculum ſe præbuit, Præſulis ſui indefeſſus & zeloſiſſimus Cooperarius. Poſthæc monaſterio *Liezheimenſi*, quod anno 1655. *Bernardum* Abbatem Ordini *Benedictino* poſtliminio vindicaſſe, monere me memini, *Præpoſitus* ordine primus præfuit. Ibi rerum, quas uſus poſtulat, quippe per bellicas calamitates diſſipatarum, inops vitam, quam

religioſiſſime vixit, religioſiſſimo fine complevit anno 1666. die 8. Julii *r*).

Ingenii & doctrinæ ſequentia reliquit monumenta. I. *Triſmegiſtus philoſoph. moralis.* in 4to. 1646. II. *Judicium logicum de Enuntiatione & Syllogiſmo.* in 4to. 1646. III. *Bilanx philoſophica arte et marte librata.* in *folio.* 1647. IV. *Orbita Philoſophiæ naturalis peripatetice verſata.* in 4to. 1647. V. *Panoplia Philoſophiæ peripateticæ auctoritate & ratione inſtructa.* in 12o. 1647. VI. *Alia plura.* Et hæc quidem Opera *Noſtro* tribuit *Hiſtoria Univerſitatis Salisburgenſis*, *p.* 426. Antequam autem *Salisburgum* ablegatus fuit, ſcilicet anno 1639. ſcripſit: VII. *Catalogum Manuſcriptorum Bibliothecæ SS. Udalrici & Afræ*, cuius meminit *Hiſtoria litteraria Ord. S. Bened. T. I. p.* 563. & 565. addens de *Noſtro* ſequentia: *Vir doctus, cuius diligentiam utinam imitentur poſteri! ne comicos ſales colligant, et eruditionis ſepulchrum aut tinearum nutricii dicantur.* Præcavit nobili auſu probrum hoc *P. R. P. Placidus* BRAUN, jam in *Præfatione* à me laudatus, dum, Bibliothecæ curam gerens novum *Catalogum Manuſcriptorum* in eo loco adhucdum adſervatorum confecit.

Reginbaldus MOEHNER. De Viro hoc, utut meritiſſimo, pauca ſunt, quæ afferam; quòd temporum, quibus vixit, iniquitas & bellorum horridus turbo eius vitæ circumſtantias ferme omnes æterna oblivione delevit. Quamvis autem pauca, attamen multo veriſſima, afferam, ea videlicet, quæ tum ipſemet de ſe in ſuo *Itinerario*, de quo inferius ſermo redibit: tum Scriptor domeſticus

&

r) V. KHAMMIUM *l. c. p.* 156. & *Hiſtoriam Univerſitatis Salisburgenſ. p.* 425.

& ſynchronus, *Corbinianus* KHAMMIUS, in *Hierarch. Auguſtan. P. III. Reg. p.* 165. connotata poſteris transmiſerunt.

Reginbaldum Bavariæ urbs, *Raina* (non *Auguſta*, ùt male habet KHAMMIUS) mundo dedit, patre natum *Præfecturâ* ibidem fungente: Ordini autem *Benedictino* aluit cœnobium *San - Udalricanum*, *Auguſtæ.* Fuit *Noſter* malorum, quæ *Bernardum* Abbatem *Suecico* exercitu patriam urbem occupante afflixerunt, omnium particeps ac ſocius: hoſtilibus autem copiis anno 1635. *Auguſtæ* urbis moenia linquente, cum res monaſterii, (bonis eius direptis, exuſtis, vaſtatis) miſere attritæ, nec alendis cœnobitis omnibus jam pares eſſent, abs Abbate ſuo dimiſſus victum vitæque neceſſaria alibi quærere compulſus eſt. Itinerum ſuorum, ſeu verius exilii huius ſui hiſtoriam accurate contextam litteris ipſe mandavit in ſupradicto *Itinerario* ſuo; ex quo (ut brevis ſim) præcipuos ad *Noſtrum* ſpectantes eventus delibaſſe ſatis habeo.

Anno 1635. die 14. Julii *Auguſtâ* profectus poſt multas viarum ambages, poſt exantlatos in vinea Domini labores, anno 1637. *Præfectum culinæ* in Collegio PP. Profeſſorum *Salisburgi* egit: quô officiô perfunctus, cum bona Abbatis ſui venia domum rediit annô 1639. die 23. Julii. In monaſterio ſuo annos aliquot moratus, Marte *gallo - ſuecico Germaniam* anno 1646. infeſtante, rurſus abs Abbate ſuo dimiſſus, variisque jactatus caſibus, tandem anno 1649. menſe *Auguſto*, abs *Leopoldo Wilhelmo* Marchione *Badenſi* in *Capellanum* aſſumptus fuit; quocum utpote belli artibus dedito etiam in caſtra abiens, multorum populorum mores

res vidit, et urbes: multis tum eccleſiaſtici tum ſæcularis ordinis inclytiſſimis Viris ac fortiſſimis Belliducibus innotuit; donec anno 1652. die 8. Januarii in cœnobium ſuum reverſus, longis & incommodis peregrinationibus ſuis finem ponens, optata quiete perfrui cœpit.

In hoc ſuavi otio libros, quos *manuſcriptos* reliquit permultos, & quorum catalogum mox ſubjungam, concinnaſſe eum et expoliviſſe credo. Delectabatur maxime *hiſtorico*, deinde *genealogico* & *heraldico*, ſtudiis, pictoriæ artis minime ignarus; unde factum, ut Scripta ſua ferme omnia picturîs accommodîs exornârit. Eum *Bernard.* PEZIUS in *Diſſertat. iſagog. ad T. I. Theſauri Anecdot. noviſſ. p. XXXIV.* appellat *Virum rerum heraldicarum & genealogicarum longe ſcientiſſimum.* In his *perſcrutandis induſtrioſiſſimum* fuiſſe, teſtari non intermiſit *Hiſtor litter. Ord. S. Bened. T. IV. p.* 328. Scriptor domeſticus *Corbinianus* KHAMMIUS *l. c.* eundem inſuper honorifico *Chronographi* titulo, idque jure, decorat, ſubdens: *immortali memoriæ reſervatum ſcribere eum, pingere, ac vivere deſiviſſe anno* 1672. *die* 27. *Septembris.*

Jam ad *Opera* Noſtri enumeranda pergo, ſequens in hoc novum *Catalogum Manuſcriptorum Bibliothecæ San-Udalricanæ* abs erudito *P. Placido Braun*, amico meo colendiſſimo, (quod monui) multâ curâ confectum.

I. *Annales Auguſtani duobus Tomis conſtantes, et in duodecim Libros diviſi.* in folio.

Liber *primus* continet Hiſtoriam Originis usque ad deductam Coloniam, ſive ad Imperatorem *Auguſtum*; ubi Monumenta antiqua, tum quæ

Augu-

Auguſtæ, tum quæ alibi extant, cum Notis *Velſeri* in 3. Partibus contenta.

Liber *ſecundus* narrat Hiſtoriam ab initio deductæ Coloniæ usque ad Annum Chriſti 556.

Liber *tertius* ab anno 556. usque 800.

Liber *quartus* ab anno 800. usque 1012.

Liber *quintus* ab anno 1012. usque 1273.

Liber *ſextus* ab anno 1273. usque 1500.

Liber *ſeptimus* ab anno 1500. usque 1548.

Liber *octavus* ab anno 1548. usque 1582.

Liber *nonus* ab anno 1582. usque 1600.

Liber *decimus* ab anno 1600. usque 1632.

Liber *undecimus* continet *Auguſtam ſanctam, piam,* id eſt: Sanctorum Auguſtanam Dioeceſin incolentium Geſta, Templorum, Collegiorum, Monaſteriorum, Xenodochiorum, aliarumque Fundationum origines.

Liber *duodecimus* complectitur Catalogum Archiepiſcoporum *Moguntinorum*, Epiſcoporum *Auguſtenſium*, Abbatum, Præpoſitorum, Superiorum, Abbatiſſarum &c.

Hoc *Manuſcriptum* merito omnem æſtimationem meretur propter Inſignia Imperatorum; Principum S. R. I.; Familiarum Auguſtenſium; debitis coloribus expreſſa et calamo Authoris delineata. Huius *Chronici* meminit quoque *Paulus à* STETTEN *T. I. Hiſtor. Auguſtanæ* vernaculæ, in *Vorbericht de Scriptor. Rer. Auguſt.* dicens: „ *Reginbaldi* MOEHNERI *Hiſtoria Auguſtana* aſſervatur „ *manuſcripta* in Bibliotheca *San - Udalricana.* Mihi eam videre nunquam contigit: Ab illis autem, qui eam inſpexerunt, bene ſcriptam eſſe „ intellexi.“ Accuratius hos ſe *Annales* excuſſiſſe, et obſervâſſe *Jacobus* BRUCKERUS in *Miſcellaneis*

Hi-

Hiſtoriæ &c. p. 441. monet, addens: quod MOEHNERUS GASSARI *chronicon* preſſim ſequatur, & ſæpius ipſa illius verba referat.

II. *Epitome Annalium Suevicorum* à *Martino Cruſio*; in folio. ubi

Catalogus per ordinem alphabeticum familiarum diverſarum, cum earum Inſignibus.

Liber paralipomenon, ſive Chronicon Sueviæ in 21. Capitibus contentum.

Epitome Rerum Suevicarum ex Libris *de gentium migrationibus*, authore *Wolfgango Lazio* Viennenſi Auſtriaco, Medico et Hiſtoriographo, in quo Genealogia diverſarum familiarum cum Inſignibus.

Genealogia aliquot Baronum *Helenſteinenſium*, et *Haidenhaimenſium* ex *Matthæo* PAPPENHEMIO *).

Genealogia Principum, Ducum, Comitum &c.

Catalogus Archiepiſcoporum, Epiſcoporum, Abbatum &c. cum Inſignibus, debitis coloribus diſtinctis.

Haſtiludia 36. & Familiæ omnes, quæ adfuerunt.

Catalogus SS. Pontificum, Imperatorum tam Orientis, quam Occidentis, Regum, Principum &c. cum Inſignibus.

Inſignia omnium Regnorum, Epiſcopatuum, Urbium, Ducatuum &c. debitis coloribus diſtincta.

De Univerſitate Tubingana, quinam *Rectores magnifici* ab anno Fundationis a Chriſto nato 1477. usque ad annum 1592. fuerunt, et qui Nobiles ſub ipſis in Album inſcripti.

III.

*) Eſt is Matthæus *Marſchallus* de *Biberbach & Pappenheim*, cuius laudes perſcripſi in *Alphabeto II.* meæ *Biblioth. Auguſt. p.* 84. *ſeqq.*

III. *Triennale* Sueco - Auguſtanum, unà cum Inſtrumento *über der Königlichen Majeſtät zu Schweden geleiſteten Eid vom Convent zu St. Ulrich in Augsburg*, et defenſio huius Juramenti; ubi *Bernardi Hertfelder* Abbatis San - Ulricani Diarium, quod omnia continet, quæ, dum Suecus miles *Auguſtam* occupatam habuit, de die in diem contigerunt. in folio **).

IV. *Ariſtocratia Auguſtana*, quam 1548. die 3. Auguſti, ſublata Democratia, et abrogatis Tribunis, *Carolus V.* Imperator pro Majeſtatis ſuæ clementia de integro reſtituit &c. usque ad 1670. ubi, quomodo *Senatus major* ab anno 1631. reformationis nempe, usque ad annum 1670. ſingulis annis crevit et decrevit. in 4to.

V. *Opus heraldicum* omnium pene Regnorum, Provinciarum, Regum, Ducum, Principum, Comitum, Baronum, Nobilium &c. arma gentilitia continens. in 4to.

VI. *Opus genealogicum* continens Principum Europæ ſtemmata, ſeu SS. Pontificum, Imperatorum, Regum, Ducum, &c. in 4to.

VII. *Opus genealogicum Fuggerorum* et aliarum familiarum *Auguſtanarum*, cum Inſignibus. in folio.

VIII. *Opus chronologicum*; ubi Nucleus ſeu Synopſis *Saliani*. in 4to.

IX. *Opus genealogicum*, continens Landgraviorum *Haſſiæ* ſtemmata ab anno 51. ante Chriſtum natum, et *Salvio Brabone* Brabantiæ Domino usque ad annum 1655. et Fridericum *den Tollen* Haſſiæ Landgravium, eiusque Fratrem Erneſtum in *Reinfels* Comitem in Cazenellenbogen, Ludovicum junio-

**) Vereor, ne in his *Catalogus* erret. Vide quæ ſupra in HERTFELDERI Scriptis monui *No. II. IV.*

niorem Landgrav. in *Darmſtadt*, Wilhelmum Chriſtophorum Landgravium in *Homburg*; ubi *Opus chronologico-heraldicum* continens Connubia et Arma gentilitia *Fuggerorum* a Joanne Fuggero 1330. usque ad Carolum Philippum 1632. nec non Patritiorum *Auguſtenſium*. *Opus genealogicum*, continens ſtemma *Anhaldiæ* Principum, et ex iisdem progredientium *Brandenburgiæ* Electorum priscorum, *Saxoniæ* Electorum veterum, et *inferioris Saxoniæ* Ducum modernorum *Lavenburgenſium*. in 4to.

X. *Inſignia* Epiſcoporum, Abbatum, Academiarum, Ordinum equeſtrium. in 4to.

XI. *Opus heraldicum*, in quo continentur

Primo Duumviri et Præfecti Urbis *Auguſtanæ* ab anno 1242. usque ad annum 1548.

Poſt abrogatum a Cæſare Magiſtratum novus a rebellibus Principibus introductus.

Nova Magiſtratus minoris et majoris forma a *Carolo V*. anno 1548. conſtituta.

Patritii, quibus temporibus eorum mentio et introductio facta.

Officia publica ab 1548. per ſingulos annos usque ad 1670.

Die Herren Geſchlechter, in welchem Jahre ſie in den Rath gekommen, und abgeſtorben.

Von der mehrern Geſchelſchaft, in welchem Jahre ſie in den Rath gekommen, und abgeſtorben.

Die Gerichtsherren und alle Aemter vom Jahr 1628. bis 1670.

Patritii in magnum Senatum vocati ab 1630. usque 1669.

Mercatores ab 1631. usque 1670. Et Plebeii.

Hochzeiten von der Stuben vom Jahr 1484. bis 1670.

Einnehmer vom Jahr 1448. bis 1671. in 8vo. oblongo.

XII. *Opus heraldicum* continens Inſignia Epiſcoporum, Præpoſitorum, Decanorum, Canonicorum Eccleſiæ Cathedralis: Abbatum ad *SS. Udalrici et Afræ*, variorum Ordinum, ordine alphabetico. in 8vo.

XIII. *Notitia Epiſcopatus Auguſtani*, ſeu Deſcriptio omnium et ſingularum Eccleſiarum, Cathedralis, Collegiatarum, Monaſteriorum, Decanatuum ruralium, Parochiarum, et Beneficiorum totius Dioeceſis *Auguſtanæ*. in 8vo.

XIV. *Itinerarium* per Bavariam, Auſtriam, Moraviam, Bohemiam, Sileſiam, Belgii provincias, Cliviam, Hannoniam, Arteſiam &c. cum plurimis figuris pictis Religioſorum, Ruſticorum, et variorum Marchionum, Ducum, Comitum &c. armis gentilitiis. in 4to.

XV. *Opus*, de quo ſupra in HERTFELDERO, *No.* 4. dictum fuit.

XVI. Collectio, 5. *Voluminibus* conſtans, continens *Effigies* Virorum toga ſagoque inclytorum, in ære inciſas, quarum compluribus *Noſter* brevem eorum *Vitæ ſynopſin* ſubſcripſit: nonnullis etiam *arma gentilitia* appinxit. — *Hæc de* MOEHNERO.

Petrus PFEIFFER, *Bremenſis* Auguſtanæ *Dioeceſis*, ſed in monaſterio *San - Udalricano* Regulam *D. Benedicti* annô 1607. profeſſus, poſtea circa annum a nato Servatore 1610. ætatis vero ſuæ annum XXIII. in *Dillingana* Academia ſub memorato *Georgio* HOLZHAIO *Philoſophiæ* operam

H nava-

navavit *s*) Succeſſu temporis in *Auſtriam* & *Lambacenſe* monaſterium delatus, ibi primum Deo ſacrificium anno 1613. obtulit. In cœnobium ſuum reverſus belli *Suecici* incommoda tulit, multisque annis *Muſices* Directorem agens plurima ad eam artem ſpectantia conſcripſit. Factus Sacerdos jubilæus, annô 1663. die 28. Octobr. ſolennem Miſſam, aſſiſtente cum aliis *Cæleſtino* DURNER J. V. D. de quo inferius in *Gregorio* JOS dicetur, cantavit. Obiit ſexennio poſt (1669.) die 18. Auguſti. Extat â *Noſtro* Officium Hebdomadæ ſanctæ tum ex latino tum etiam italico *Hieronymi Joanninii*, augendæ Fidelium pietatis gratiâ, *germanice* verſum hoc titulo: *Gottesdienſt der heiligen Char-oder Marterwochen*. in 8o. *Augſpurg*. 1630. apud *Michael Stör*. iterum 1667.

His tribus Cænobitis addendus eſt, Lector! *Fridericus* PLANCK, qui *Landishuti* in *Bavaria* anno 1598. nobilibus parentibus natus, Regulam autem *S. Benedicti* in Monaſterio *SS. Udalrici & Afræ*, *Auguſtæ*, anno 1619. amplexus eſt. Docuit is aliquamdiu litteras humaniores in Univerſitate *Salisburgenſi*: unde domum redux, anno 1630. *Anhuſium*, celebre quondam in *Würtenbergia* Ord. S. Benedicti cœnobium, poſtulatus fuit, ut eidem quà *Prior* præeſſet. Et præfuit usque ad 9. diem Aprilis, anni 1632. quo *Suecicum* militem ſibi fugiendum ratus per *Sueviam*, *Tyrolim*, *Bavariam* circumerravit, donec *Landishutum* delatus, inibi anno 1634. die 4. Junii in Domino moriens â viarum ambagibus, & vitæ huius mortalis peregrinatione omni quievit.

Scrip-

s) Patet hoc ex Litteris MSStis. ad *Carol.* STENGELIUM. Reliqua ex Khammio & meis *Annotatis* decerpſi.

Scripſit *Annales Monaſterii Anhuſani*, quos ad noſtra usque tempora anecdotos nuperrimè ſuprà laudatus *P. R. P. Placidus Braun*, quòd eosdem tum Hiſtoriæ *Würtenbergicæ*, tum ipſius *Monaſterii* multum lucis allaturos crederet, juris publici fecit in *Notitia hiſtorico - litteraria Codicum MSStorum Bibliothecæ SS. Udalrici & Afræ, Auguſtæ.* 4to. *Vol. I.* ubi etiam Vitæ *Noſtri* circumſtantiæ paulo fuſius narrantur.

JOS (*Gregorius*)
Abbas San - Udalricanus.

Gregorium urbs *Auguſta* mundo annô 1616. die 15. Aprilis: Ordini autem *Benedictino* anno 1638. dedit, quem is anno 1639. die 19. Octobris in monaſterio *San - Udalricano* profeſſus, ſacrîsque initiatus Ordinibûs primum Deo ſacrificium anno 1642. Neomyſta litavit. Hîs geſtîs *Salisburgum* veniens, religioſi convictûs ibi conditi anno 1645. *Subpræfectum*: triennio poſt (1648.) etiam *Præfectum*: anno autem 1652. Collegii Salisburgenſis *Oeconomum* egit. Poſthæc *Auguſtam* reverſus ſit tertiò *Juniorum Magiſter*: anno 1654. die 1. Junii ſecundò *Subparochus*: demum anno 1656. die 18. Maii monaſterii *Prior*.

Subin elapſô octenniô, cùm *Bernardus* HERTFELDER vitæ ſuæ curſum complêſſet, *Noſter* anno 1664. die 10. Junii abbatiali dignitate auctus, eodémque adhuc anno abs *Joanne Chriſtophoro* Epiſcopo *Auguſtano* Monaſteriorum Ord. *S. Benedicti* per diœceſin *Viſitator* conſtitutus eſt.

*Fuit Gregorius Vir omnino magnificus; judicio præſtantiſſimus; in rebus agendis providus, celer, animoſus; ſeveriorum doctrinarum apprime peritus; Architecturæ, aliarúmque practicarum ſcientiarum expertiſſimus; inſignis Organœdus; cantûs Gregoriani *) accuratus Phonaſcus; diſciplinæ monaſticæ obſervator, reformator, ac promotor; incomparabilis Jurium monaſterii conſervator & acerrimus defenſor.*

Generale hoc elogium ſequantur laudes *Noſtri* ſpeciales, *politicæ* & *litterariæ. Politicæ* ſunt: Variis bonis coemptis rem monaſterii œconomicam ditavit: theſaurum Eccleſiæ ſacris ac pretioſis ornamentis comparatis auxit: inſignia *Privilegia*

*) *Cantus Gregorianus*, jam integro ſæculo prius, quantô ſtudiô in monaſterio *San-Udalricano* cultus atque tractatus fuerit, documento eſt *Joannes* TREER *Faucenſis Algoius*, qui ſub *Jacobo* KOEPPLINO Abbate circa annum 1548. *Subprior*, *Choriregens* & *Profeſſus jubilœus* vixit: atque ut ſecundùm *Regulam S. Benedicti*, c. 43. nil operi Dei præponeret, pro jucunda Numinis devotaque laudatione cumprimis ac impenſe laboravit. Unde ad cultum divinum propagandum, et ad pios affectus in aſſiſtentium animis excitandum tam Cantum *Gregorianum* ſeu choralem, quam *Cantum Ambroſianum* (vulgo *Contrapunctum*) in Eccleſiæ Choro cantandum perficere operoſe ſtuduit, & laudabiliſſime præſtitit, amico habito commercio cum famoſo Muſicorum principe *Orlando de Laſſo* Ducis Bavariæ *Wilhelmi* ſupremo phonaſco. Ex cuius directione ad uſum Chori manu propria conſcripta magna

Cantus Contrapuncti Volumina, in folio grandi. Bibliothecæ ſui monaſterii. ſimulque perpetuam & commendabilem ſui nominis memoriam reliquit, teſte KHAMMIO in *Hierarch. Auguſt. P. III. Reg. p.* 122.

legia duo **) monaſterio ſuo abs *Leopoldo I.* Imperatore impetravit, cœnobium ruinam minitans, ventis ac tempeſtatibus pervium, partim de novo conſtruxit, partim reſtituit: diſciplinam monaſticam alicubi lapſam reſtauravit, alibi languentem excitavit, florentem fovit, utque per totam Diœceſin ſarta tectaque eſſet, ſtudioſe providit: denique monaſteriis *Fultenbacenſi*, *Neresheimenſi*, *Thierhauptano* Abbates, *Liedzheimenſi* Præpoſitum e ſuorum numero dedit.

Litterariæ ſunt. Studia ſollicite promovit: ut eruditio nusquam exerraret, *Philoſophiam* diu antehac exulantem in monaſterium reduxit: ut diſcipuli hauſtæ doctrinæ ſpecimen præberent, *philoſophicas theſes* impreſſas, & libellis expoſitas, in ſolo ſuo monaſterio intra ſexennium ſepties publicæ Diſputationi offerri indulſit: ut ſcientiæ acquiſitæ nutrirentur, vel ut ne in oblivionem facile abirent, *Bibliothecam* non ſolum noviter exſtruxit, ſed multis quoque raris et ſelectis omnium *Facultatum* libris magnâ impenſâ comparatis inſtruxit. Quibus rebus id eſt conſecutus, ut & ipſe magna ubique fama floreret, & complures ê ſubditis haberet ſcientiis egregie imbutos: quarum illi documenta domi forisque, etiam in publicis Univerſitatibus, perquam eximia edidêre. Horum ê numero vocare me licet *Cœleſtinum* DURNER, *Leonardum* FESENMAYR, *Magnum* AGRICOLAM, de quibus mox dicam: & quibus adjungi plane debet *Corbinianus* KHAMMIUS, cui poſt hos pecu-

 lia-

**) Quisquis hæc fuſius narrata cupit, adeat mox nominatum KHAMMIUM *l. c. p.* 164. & *Parte. II. Colleg. p.* 329. cujus non ſolum auctoritate, ſed et verbis utor.

liarem *paragraphum* dicare, dicendorum copia ſuaſit.

Hoc modo *Gregorius* intra breve regiminis ſui ſpatium, *decennium* puta, plura præſtitit, quam alii longo temporis intervallo vix præſtent: et, quamvis breve fuerit *Noſtro* gubernationis tempus, longa tamen & æterna factorum memoria manet, poſt fata, quibûs anno 1674. die 9. Novembris conceſſit, monaſterium ædificiorum ſtructuris ornatiſſimum, nec non quà litteris quà vitæ monaſticæ obſervantia florentiſſimum relinquens. Sepultum in exedra ſeu domo *capitulari*, quam is noviter erexerat, ſequenti epitaphio honorandum cenſuit, ſucceſſor *Romanus* DANIEL Abbas:

VIATOR!
LEGE ET LUGE.
HIC IACET
GREGORIUS ABBAS L.
VIRTUTE, PRUDENTIA, PIETATE
CLARISSIMUS.
PRÆFUIT ET PROFUIT ANNIS X.
TANDEM
POST NOVAM COENOBII STRUCTURAM,
RESQUE PRÆCLARE GESTAS
QUIEVIT IN PACE
IX. NOVEMBR. ANNO MDCLXXIIII.
AETATIS LIX.
CUI
AD FAMAM POSTHUMAM
HOC MONUMENTUM
ROMANUS ABBAS
S. M. P.

Necdum omnia dixi. *Gregorius* litteras & ſtudia ære atque hortatu promoviſſe haud contentus,

tus, eaſdem ſuo etiam digniſſimo exemplo altiùs provexit; dum Opus præſtantiſſimum *de Cœlitibus Benedictinis* in 4. *Volumina* diviſum, & *iconibus* affabre *cœlatis*, in natalitios totius anni dies diſtributis, ornatum inchoavit, additis *Vitis Sanctorum Benedictinorum* ſingulari facundia â ſe, dum vixit, deſcriptis: cui poliendo & perficiendo (quod per abbatialis muneris curas ſibi haud ſatis otii in id ſuperaret) *Ægidium* RANBECK *Schyrenſem* Monachum præpoſuit; qui illud, *Noſtro* inter litterarios conatus ſupremis fatis perfuncto (ſuccollante, & *hoc Legatum oneris atque honoris, quaſi ex teſtamento Anteceſſoris, inter primas curas amplectente Romano* DANIELE ſucceſſore) feliciter conſummavit, ediditque anno 1675. hoc titulo:

Calendarium annale Benedictinum per menſes & dies Sanctis eiusdem Ordinis inſcriptum, in 4to. *Auguſtæ Vindelicorum.*

in quod ſplendidum Opus ab ambobus hisce Abbatibus ſumma plus quam 5000. florenorum impenſa fuit *).

Non ſolum autem mox dicto Opere, quantum Ordinis *Benedictini* famæ propagandæ ſtuderet; ſed aliô inſuper oſtendit, minori quidem, ſi molem: at pari, ſi materiam ſpectes. Servatur illud adhucdum in Bibliotheca *San - Udalricana manuſcriptum* in 4to hôc titulô: *Hiſtoria de S. Benedicto, de illius Sanctis, & ſacræ Religionis Excellentia in epitomen redacta: et primum hiſpàno ſermone ê ſuggeſtu expoſita per R. P. M. Jacobum de Almeyda Prædicatorem generalem eiusdem Ordinis,* H 4 &

*) Idem Opus prodiit etiam, in linguam *Germanicam* verſum â Carolomanno *Vierholz* Cœnobita *Admontenſi*, *Auguſtæ*, in 4to. 1710. *Vol. IV.*

& ordinarium Conventûs S. Martini Madriti: ex hiſpano in idioma gallicum translata per R. P. Nicolaum à Conceptione Carmelitam excalceatum: & tandem ad inſtantiam RRmi. D. D. Gregorii, inclyti & imperialis Coenobii SS. Udalrici & Afræ Aug. Vindel. Abbâtis, latinitate donata. MDCLXVI. Utrum Opus hoc in lucem prodiverit, neſcio: commemorare tamen illud, tum ad *Gregorii* laudes augendas, tum ad nomen Auctoris *Almeydæ*, quem nullibi invenire potui, ab oblivione eripiendum, mearum partium duxi. — Jam docto Abbati ſuccedant docti Monachi.

Cœleſtinus DURNER *Auguſtanus* in hanc lucem circa annum 1638. editus, ſacrum Ordinem *S. Benedicti* anno 1656. amplexus & ſacerdotio anno 1662. initiatus fuit.

Philoſophiam docere juſſus anno 1665. *I. Quæſtiones Philoſophicas* tribus diverſis Libris enucleatas tribus publicis *a*) diſputationibus propoſuit ſub regimine Abbatis, qui *Bernardo* HERTFELDERO proxime ſucceſſerat, *Gregorii* JOS, quo favente *Noſter* in *Ingolſtadianam* Academiam ablegatus, poſt acria ſtudiâ, anno 1669. *Doctoratus* in utroque *Jure* lauream unâ cum aliis *b*) accepit: quos inter cum duo eſſent, ſcilicet *Gerardus Prandſtetter* & *Rupertus Kümpfler*, cœnobitæ *Cremifanenſes*, qui (uti *Noſter*) in monaſterio ſuo *Philoſophiæ* Profeſſurâ jam defuncti fuerant, inde *Arnoldus* RATHIUS ſenior, 45. annorum in illa Academia Profeſſor, occaſionem arripuit, publice, ac inſigni & prolixo cum elogio de *Philoſophiæ laudibus*,

a) V. KHAMMIUM in *Hierarch. Auguſt. P. III. Reg. p.* 165.

(*b Annales Academ. Ingolſtad. T. II. p.* 378. 379.

dibus, ac præcipue *de illius neceſſitate ad Juris-prudentiæ ſtudium*, diſſerendi. Præterea ad Jus canonicum in Univerſitate *Salisburgenſi* docendum evocatus eſt, ſed ab adeunda cathedra corporis infirmitate impeditus fuit. Scripſit *II. Tractatum de Miſſæ ſacrificio*. in 12o. excuſum *c*). Epitaphium eius in Eccleſiæ ambitu hoc eſt:

Anno MDCLXXXIX. XXVIII. Decembris obiit R. P. Cœleſtinus Durner, imperialis monaſterii huius Profeſſus, Presbyter & Oeconomus, ætatis ſuæ LI. Religionis XXXIII. Sacerdotii XXVII. R. I. P.

Leonardus FESENMAYR, *Auguſtæ* genitus, haud dubie HERTFELDERO adhucdum cœnobii *San-Udalricani* clavum regente, Ordini *Benedictino* nomen dedit ſuum; ſed à ſucceſſore *Gregorio* jos Abbate *Romam* miſſus, inde duplicem *Doctoratûs* in *Philoſophia* juxta ac *Theologia* pileolum retulit. Cum *Doctoratûs* eius Diploma forte fortuna mihi oblatum fuerit, non incongruum judico, nonnulla ex eodem in medium afferre: ut Lector intelligat, quantorum Virorum patrocinio ac favore *Noſter* in *Urbe* fruitus ſit.

Glorioſa ſtudiorum mater & virtutum altrix Roma ... ad ſupremi Doctoratus ſplendidiſſimam dignitatem ſublimare ... conſuevit, quos longo exercitio, laboribus ſummis ... ſeſe doctrinæ dantes ... veriſſimis teſtimoniis accurate reperit probatiſſimos .. Quare, cum hæc omnia intelligeret A. R. F. Leonardus Feſenmayr *Sacerdos Ord. S. Bened. imperialis monaſterii SS. Udalrici & Afræ Auguſtæ Profeſſus, qui prius multos per annos inſignem operam S. Theologiæ ſtudio navavit ... cuperetque propte-*

c) V. *Hiſtor. litterar. Ord. S. Bened. T. IV. p.* 283.

rea ad Doctoratus gradum in S. Theologiæ, *&* Philoſophiæ *Facultate promoveri, per A. R. P. M. F.* Nicolaum Olivam *Priorem generalem Ord. S. Auguſtini, & A. R. P. M. F.* Joannem Baptiſtam Beltrames *Ord. Minorum Conventualem Promotores, RR. P. M. F.* Hyacintho Libello *Ord. Prædicat. S. Palatii Apoſtol. Magiſtro idem R. P.* Leonardus Feſenmayr *legitime fuit præſentatus examinandus & approbandus iu S. Theologia & Philoſophia, & ob hoc in præſentia clariſſimorum Virorum ſe ſubjecit arduo rigoroſoque examini RR. P. M.* Dominici Mariæ Pozzobonelli *Ord. PP. S. Officii Commiſſarii & A. R. P. M. F.* Laurentii Brancati de Laurea Ord. *Minorum Conventual. publici S. Theologiæ Lectoris. In quo examine dictus F.* Leonardus *puncta ſeu concluſiones ſibi aſſignatas miro ac pulcherrimo ordine, ſummaque doctrina legit, & recitavit dividendo, diſtinctiones adhibendo, contraria adducendo &c &c. Denique adeo docte, eleganter, & bene ſe geſſit, ut fuerit ab omnibus S. Theologiæ & Philoſophiæ Doctoribus, in S. Theologia & Philoſophia idoneus, intelligens ac peritus habitus . . & ob id concorditer, pari voto, cunctis ſuffragiis, ac nemine penitus, penitus, penituſque diſcrepante Doctoratu dignus fuerit approbatus. . . . . His ſic peractis dictus R.* Leonardus *a P. R. P.* Bernardino Ciaffono *uno ex præfati Collegii Doctoribus . . . ſolita . . Doctoratus inſignia ſibi dari . . . poſtulavit. Quamobrem &c. &c. Actum Romæ in Gymnaſio publico Regionis S. Euſtachii, anno Domini MDCLXX. Indict. VIII. die vero XXVIII. menſis Auguſti . . . Præſentibus A. R. P.* Laurentio Koler *Moguntino, S. I. Aſſiſtentiæ Germaniæ Procuratore & J. V. Doctore.* Emmanuele Van der Schel-

ſtra-

ſtrate *Antverpienſi S. Theolog. Doctore teſtibus...*

F. Hyacinthus Libellus *S. P. A. Magiſter.*

Poſtquam domum remeârat, ita virtute effulſit, ut, juvenis admodum, tamen ad *Prioris* munus aſcenderit: cúmque Orator eſſet percelebris ac vere zeloſus, plurimas *Conciones*, præcipue *de B. V. Maria doloroſa*, à ſe habitas conſcripſit, quas tamen in lucem non edidit morte præventus; nam cum anno 1700. *Salisburgi* in alma Univerſitate per quadrageſimalis jejunii tempus Concionatoris munere functus eſſet, ibidem eôdem adhuc annô mortalitatem explevit *d*),

Quæ vero à *Noſtro* extant typîs impreſſa, ſunt ſequentia. I. *Neu-erhebter Himmelſchaz, d. i. kurzer und gründlicher Bericht von den hochſchäzbaren Reliquien und Heiligthumen der 5. hochheiligen Leichname benantlich* Wicterpi, Toſſonis, Nidgarii, *und* Adalberonis *e*), *wie auch der uralten H. Martyrin* Dignæ. *in* 8o. *Augſpurg.* 1698. Hoc Opere *Noſter* non ſolum ſolennitatem *Translationis SS. Corporum* ſub *San-Udalricano* Abbate, *Wilibaldo Popp*, dicto anno, ad diem 12. Octobris, conſentiente *Alexandro Sigismundo* Epiſcopo, factæ: ſed inſuper *Vitas* eorundem Sanctorum deſcripſit. II. *Conciones duæ*, habitæ per ſolenne octiduum *Translationis* Reliquiarum memoratorum *Sanctorum.* Habes illas in Libro: *Neu-erweckter Andachtseifer, d. i. Hoch-Feyr- und Freudenreiches Ehrenfeſt, welches bey ſolenner Erheb- und Beyſetzung der 5. heiligen Leichnamb Wicter-*

d) V. KHAMMIUM *l. c. p.* 165.

e) *Quatuor* ſcilicet Epiſcoporum *Auguſtanorum.* De *S. Adalberone* vide *Alphabetum IV. Bibliothecæ meæ Auguſtanæ, p.* 1.

Wictrpi, *Thoſſonis &c. &c.* ... *angeſtellt worden.* in 4to. 1699. a *pag.* 231 - 260. in quo *Noſter*, præter binos ſuos, reliquos etiam reliquorum Concionatorum ſermones exhibuit, totumque inſuper ſolennitatis apparatum explicavit: et hôc modô ad *Hiſtoriam particularem eccleſiaſticam Auguſtanam* ſymbolam ſuam pro virili conferre non prætermiſit. III. *Concio* vernacula, quam habuit anno 1699. in ſolennitate Jubilæi, *Miraculoſi Sacramenti Auguſtæ ad S. Crucem.* Reperitur illa in Libro: *Jubilæum Vindelico - Euchariſticum.* in 4to.

Magnus AGRICOLA. Viri huius, publici aliquamdiu in *Salisburgenſi* Univerſitate *Philoſophiæ* Profeſſoris, laudes præſenti in loco repetere ſupervacaneum foret: utpote quas in *Alphabeto V. Bibliothecæ* meæ *Auguſtanæ*, *p.* 1. deſcripſi, ubi videſis.

KHAMM (*Corbinianus*).

Dum *Corbinianum* KHAMMIUM laudare ordior, *Philoſophum*, *Theologum*, *Juris canonici peritum*, & *Hiſtoricum* laudo: cuius auctoritatibus in omni mea *Bibliotheca Auguſtana* facile ſexcenties uſus ſum: qui, cùm haud poſtremam in eo curam poſuerit, ut Viros doctos *Auguſtanos* ab oblivione hominum eriperet, ſe vel hoc nomine, ſi alia deeſſent omnia, dignum fecit, cui & ipſi promeritum elogium ſcribatur. Quod ipſum ego ſcribere ei aggrediens, optimum factu judico, in Vitæ eius circumſtantiis enarrandis Litteras encyclicas mortuales, uſitatiori vocabulo *Rotulam* dictas, ſequi: haud veritus, ne hoc modo veri diſſona Lectoribus proponam.

Volve-

Volvebatur annus à reparata humani generis ſalute MDCXLV. cum *Corbinianum* noſtrum *Zuſamalta*, Sueviæ pagus, ad diem XXV. Januarii in dias luminis auras protulit, præclaris ingenii dotibus præditum. quibûs factum, ut, poſtquam ætatem ſtudiis idoneam attigit, miſſus in litterarium ludum, eos progreſſus fecerit, ut per omnes humaniorum litterarum claſſes commilitonibus ſuis palmam præriperet. Sed parum illi erat, inter doctrinæ æmulos eminere; niſi ſacratioris pariter vitæ ſectatores æmularetur. Quare mundo, vix bene ſalutato, anno ætatis XVII. nuncium remiſit, & innocentiæ ſuæ perfugium in imperiali monaſterio *SS. Udalrici & Afræ*, *Auguſtæ*, quærens haud gravate obtinuit. Exacto cum eximia fervoris & obſervantiæ laude religioſo tyrocinio, *Regulæ Benedictinæ* ſacràmentum anno MDCLXIII. die VIII. Septembris, ipſo Nativitatis *B. V. Mariæ* feſto, ad aram ſolenniter dixit.

His geſtis, ne egregia juvenis Religioſi talenta *quaſi in ſudario reponerentur*, ſed cum *uſura* exigi aliquando poſſent, Superiorum vigilantia ſollicite providit; dum *Noſtro* gratioſe indulſit, ut per diverſa ſeveriorum diſciplinarum emporia negotiaretur. Nec ſpem de ſe conceptam inerti otio fruſtratus eſt negotiator ſedulus; ſiquidem pretioſis omnigenæ ſcientiæ mercibus locupletatus domum rediit, mox easdem domeſticis juxta ac exteris venum expoſiturus. Proinde ne merces tam opulentæ ſteriles & ſine fœnore jacerent, ſed majus etiam ab ipſa mercatoris perſona pretium nanciſcerentur, anno MDCLXIX. die VI. Januarii, qua ſapientiſſima Magorum trias Regi, Homini, Deo

dona

dona obtulit, *Noſter* ſacerdotii dignitate exornatus eſt.

Quæ deinceps *fecerit*, quæ *docuerit*, quæ *ſcripſerit*, omnia ac ſingula recenſere longum foret. Ac primum quidem in ſuo cœnobio *Philoſophiæ* ac *Theologiæ Profeſſoris* munus ſuſtinuit: mox etiam in *Roggenburgenſi* Ord. Præmonſtrat. aſceterio diſciplinas *philoſophicas*, neſcio, an *theologicas* ab anno circiter 1679. per triennii ſpatium tradidit: quod ipſe in quadam ſuarum *Dedicationum* *) ad *Adalbertum* eius cœnobii Abbatem haud obſcure indicat his verbis: *Quia vero per triennii curriculum expertus fui, Te non ſolum* concertationes meas publicas *tua præſentia cohoneſtaſſe, ſed inſuper validiſſimo plerumque ariete propugnacula* Thomæa *concuſſiſſe ... impellet Te tuus in litteras litteratosque amor .. ad me* Athenæi Roggenburgenſis hactenus (1682.) Cathedraticum (puta: docentem de cathedra) *favorabili judicio roborandum.* Similiter *Profeſſoris* ſpartam in principali Aſceterio *Campidonenſi* ornavit, tam felici virtutis ac doctrinæ nexu, ut ſimul in pago *Günzburg* animarum curæ præpoſitus, tum boni paſtoris tum egregii profeſſoris partes integerrime expleverit. Præfuit autem parochiæ *Günzburg* anno MDCLXXXVIII. uti docent Litteræ ei abs Epiſcopo *Joanne Chriſtophoro*, anno eodem, in feſto *Purificationis B. V. Mariæ* conceſſæ; *ut parochiam Günzburg inofficiare et regere ... poſſis ac valeas abhinc usque ad feſtum Purificationis B. V. M. anni MDCLXXXIX... licentiam damus* ... Sed

ne,

*) V. Opus *Noſtri*, cui titulus: *Veritas manifeſtata pro authoritate RR. Patris F. Thomæ Turci &c. in 4to.* 1082.

ne, dum exteris prodeſſe ſatagebat *Corbinianus* noſter, ſuorum & maxime domeſticorum curam non habere videretur, in cœnobium ſuum redire, et ſpiritum, cui *S. Benedictus* ſervivit, in religioſorum tyronum mentibus excitare juſſus, præclaræ virtutis ſobolem, ad divi Legislatoris præcepta conformatam, ſacro *Ordini Benedictino* dedit.

Quantum vero ore ac calamo Rempublicam litterariam adjuverit, ornârit atque illuſtrarit KHAMMIUS, teſtes invocare licet, tum domeſticos *a*), tum exteros aliorum etiam Monaſteriorum & Ordinum Viros religioſos, quos ille e cathedra in theologicis æque ac philoſophicis diſciplinis per aliquot luſtra ſollerter, ſolideque inſtituit. Sed vel his tacentibus, utpote quibus æternum muta mors ſilentium impoſuit, famam *Corbiniani* diſerte loquuntur tot adhuc ſuperſtites eius ex utraque hac *Facultate* doctiſſimæ lucubrationes, quas pro more inferius, & accuratè ex annorum, quibus in lucem prodiverunt, ſerie recenſebo.

Inter ſcholaſticos pulveres, doctas inter occupationes ſexaginta *Noſtro*, & ultra, vitæ anni proceſſerant: vox ei canora, atque vires corporis repetitis fractæ infirmitatibus & præcipue podagrâ ac chiragrâ abſumptæ, deceſſerant. Quare laſſa curvatum ætate quieſcere, & deſcendere de cathedra Plato juſſit. Ne tamen animus vegetus, & ingenium litteratis aſſuetum laboribus, inter ipſa etiam vitæ contemplativæ negotia, otiari videretur, plurimùm ſuadentibus immo urgentibus RRmis. *cathedralium & collegiatarum* Eccleſiarum Ca-

a) Ex horum numero duobus, poſt abſolutum KHAMMII elogium, debitas laudes ſcribere non omittam: uti & aliis *Noſtri* Syncœnobitis.

Canonicis, eorumque propinquis *Opus* orſus eſt *chronologicum*, immenſi propemodum laboris, non ſolum ab ordinariis Cenſoribus, ſed etiam celeberrimis per Europam Academiis *Moguntina*, *Colonienſi*, *Salisburgenſi*, *Erfurtina* approbatum, ampliſſimisque laudibus, & præclaris *Atlantæi laboris*, *omnifariæ ſcientiæ & eruditionis*, *ſingularis induſtriæ &c.* teſtimoniis mirifice ornatum: HIERARCHIAM nimirum AUGUSTANAM, IV. Tomis diſtinctam, in qua Eccleſiarum, tum ſæcularium, tum regularium, *Auguſtanæ Dioeceſeos*, fundationes, prærogativas, incrementa, decrementa, ſtylo non minus diſerto, quam modeſto uſus, rei hiſtoricæ cultoribus exhibuit.

In iſtis autem omnibus peculiarem tum *Romani* DANIELIS *b*), tum maxime *Wilibaldi* POPP. *c*) favorem, liberalitatem ac patrocinium *Noſtro* & excitamento & adjumento maximo fuiſſe, perſuaſiſſimum habeo. Profecto hic poſterior, litteras, quibus *Auguſtæ*, *Dillingæ*, imo & *Romæ* (Hinc eum in numerum *Virorum illuſtrium Collegii Germanici* adſcribere non omiſit *Julius* CORDARA, in *Hiſtor.* dicti *Collegii*, *p.* 213.) imbutus fuerat, non ſolùm cordi plurimum habuit, ſed etiam, poſtquam ad abbatialem dignitatem evectus eſt, utpote ampliorem nactus facultatem, in ſuis tanta munificentia promovit, ut nullis ſumptibus ſibi parcendum, ſed in hoc facile ſummam (quam vix credas) 18000. florenorum expendendam ſibi exiſtimârit: Abbas per omnia magnificus,

b) Succeſſit hic *Gregorio* JOS Abbati, qui *domi* ſeveriora ſtudia, gravibus cauſſis motus, inſtituerat.

c) *Wilibaldus* poſt DANIELEM monaſterii gubernacula rexit, gnaviter inſiſtens deceſſorum ſuorum veſtigiis.

cus, publicis Muſicæ, Doctrinæ, Vitæ contemplativæ & activæ celebribus factis clarum & immortale nomen adeptus *d*). Sed mittamus iſta — Ad *Corbinianum* noſtrum noſtra revertatur oratio, & reliqua Vitæ eius narrando perſequatur.

Per totum vitæ religioſæ decurſum non modo *præcepta Magiſtri* (*D. Benedicti*) *& ſanctiſſimi Patris admonitiones inclinata cordis aure auſcultare*, ſed et *efficaciter complere* ita inter primas curas habuit, ut aliis omnibus neglectis in hoc uno omnis eius induſtria deſudaſſe videretur. Jam vero à pluribus annis monaſterii ſui digniſſimus *Subprior* & Confeſſarius domeſticus deſignatus erat; cum ultima ei fata inſtiterunt. Namque fatiscentibus præ ſenio viribus, per duos ferme annos lecto potiſſimum affixus languidam, attamen piiſſimam vitam trahebat, donec tandem graviſſimâ tactus apoplexiâ iter æternitatis ingreſſus eſt, anno Chriſti MDCCXXX. die VIII. Maii, in feſto Apparationis *S. Michaelis* Archangeli. Vixit annos ætatis LXXXV. Religionis LXVII. Sacerdotii LXI. Humatus in periſtylio Eccleſiæ, ſequens habet Epitaphium:

Anno MDCCXXX. VIII. Maii. Obiit A.R. P. Corbinianus Khamm imperialis Aſceterii huius Monachus, Theologus, Chronologus, *Pro-*

d) A *Wilibaldo* Abbate extat *Concio*, in *octiduana* Solennitate ſepties ſæculari, quam ob introductam *Auguſtæ* in Eccleſiam *SS. Udalrici & Afræ*, Religionem *Benedictinam* maximâ pompâ celebravit, habita. Huic RRmus Auctor, quod poſtremò locò, próque claudenda Feſtivitate dicta fuit, titulum hunc ſcripſit: AMEN, *das iſt, Herzlich gemeinter Wunſch:* ES WERDE WAHR. Extat cum reliquis *Sermonibus* in iſta Solennitate recitatis.

Profeſſione & Sacerdotio Jubilæus, Aetatis LXXXVI. R. I. P.

Hic vitæ curſus, hic finis *Corbiniano* noſtro fuit, Viro de re litteraria optime merito; ob inſignem Religionis Zelum plurimum commendando; memoriâ æternâ digniſſimo; propter egregias animi ingeniique dotes Viris eruditiſſimis, etiam in ſublimibus Eccleſiæ dignitatibus conſtitutis, familiari; juxta et abs Principibus, iisdemque compluribus, permagni habito: quorum ê numerô vocare mihi licet: *Alexandrum Sigismundum*, Comitem Palatinum Rheni, Epiſcopum *Auguſtanum*: *Franciſcum Ludovicum*, ex eadem sereniſſima domo, *Præpoſitum Elvacenſem* &c. &c. &c. *Joannem Wilhelmum* itidem *Palatinum*, *Nicolaum Mariam de* TEDESCHIS *e*) Epiſcopum *Liparenſem &c.* qui *ſummam doctrinam cum modeſtia conjunctam* in *Noſtro* admiratus eſt: *Rupertum de* BÖDMANN Principem & Abbatem *Campidonenſem*: Canonicos cathedralis Eccleſiæ *Auguſtanæ* eius temporis complures.

Reliquum eſt, ut de Lucubrationibus *Corbiniani* noſtri dicam. Sunt illæ:

I. *Quæſtiones diſputatæ ex Logica .. ad D. Thomæ libram appenſæ.* in 8o. *Aug. Vindel.* 1675.

II. *Quæſtiones diſputatæ ex Phyſicæ Auſcultationis Libro I... ad D. Thomæ libram appenſæ.* in 8o. 1675. *Ibidem.*

III. *Quæſtiones diſputatæ ex Phyſicæ Aſcultationis Libro II. & ſeqq... ad D. Thomæ libram appenſæ.* in 8o. 1676. *Ibidem.*

IV.

e) De hoc Viro præſtantiſſimo vide *Hiſtoriam litterariam Ord. S. Benedicti.*

IV. *Quæſtiones diſputatæ de anima adjunctis ex univerſa Philoſophia Aſſertionibus .. ad D. Thomæ libram appenſæ.* in 8o. 1676. *Ibidem.*

V. *Animadverſiones in Vindicias Kempenſes.* in 4to. 1677. *Ibidem. f)*

VI. *Medicina ſpiritualis, id eſt:* Cenſura eccleſiaſtica, *publico examini propoſita.* in 8o. 1679. *Ibidem.* Hoc in Opere multifaria Auctoris, ex morali, & SS. Canonum ſcientia collecta eruditio elucescit.

VII. *Veritas manifeſtata pro authoritate RRmi. P. F. Thomæ Turci, quondam Magiſtri generalis Ord. FF. Prædicatorum, circa Prædeterminationem phyſicam per F. Franciſcum Janſſens Elinga, S. T. Licentiatum, ſtudii generalis Antverpienſis Regentem primarium: per F. Corbinianum Khamm Ord. S. Benedicti &c. una cum addito Prædeterminationis phyſicæ nucleo &c.* in 4to. *Altdorffii ad Vineas.* 1682. Opus dicavit *Noſter Adalberto* Abbati *Roggenburgenſi.*

VIII. *Prædeterminationis phyſicæ Nucleus.* 1683. *g).*

IX. *Prolegomena Logicæ, adjunctis ex eadem ſelectis Theſibus. P. I.* in 8o. *Aug. Vindel.* 1691. Secutum ſe utplurimum ſententias Card. *de Aguirre* profitetur Auctor in *præfatione.*

X. *Ex Prolegomenis Logicæ Pars II. adjunctis ſelectis Theſibus.* in 8o. *Ibidem.* 1692.

f) Hoc *Opus*, a me non viſum, tribuit *Noſtro Hiſtoria litterar. Ord. S. Benedicti. T. III. p.* 457.

g) Neque hoc *Opus* videre mihi contigit; quod tamen laudata *Hiſtoria litter. Ord. S. Bened. l. c.* verbis expreſſis *Noſtro* adſcribit. Fors illud ab eo *ſeparatim* quoque vulgatum fuit.

XI. *Intellectus triumphans*, *adjunctis ſelectis Theſibus ex phyſicæ Aſcultationis VIII. Libris*. in 8o. 1692. *Ibidem*.

XII. *Epitome canonico-moralis de Legibus, Jure & Juſtitia, adjunctis Theſibus ſpeculativo-moralibus ex univerſa Theologia*. in 8o. 1693. *Ibidem*. Opus juſſu Abbatis *Wilibaldi* à *Defendentibus* ſacratum *Joanni Chriſtophoro* à TRESTENDORF Decano *Elvacenſis* Eccleſiæ, & *Locumtenenti &c.* *).

XIII. *Excommunicatio Violatorum Aſyli eccleſiaſtici dilucidata*, *cum Aphoriſmis ſelectis ex univerſa Arte medica*. in 8o. 1694. *Ibidem h*).

XIV. *Pharmocopæia Auguſtana medicinis ſpiritualibus inſtructa*, *adjunctis Aphoriſmis ex univerſa Arte medica*, *in publicum examen propoſita*. in 8o. 1696. *Ibidem*. Opus, in quo Auctor de *Excommunicatione*, *Suſpenſione*, *Interdicto &c.* agit, & præcedentem Libellum (*Excommunicatio Violatorum Asyli*) recudi fecit, dedicavit, jubente Abbate ſuo *Wilibaldo Popp*, Epiſcopo *Friſingenſi*, *Joanni Franciſco* ex Baronibus *Eckherianis*. De Opere ipſo hæc ſunt *Franciſci* MEZGERI Theologiæ & Juris utriusque Doctoris, nec non *Franciſci Guilielmi* AYMAYR Doctoris &c. judicia. Prior ait: *Pharmocopæia hæc tam dextre permiſcet utile dulci*, *neque minus antidota quam alexipharmaca efficaciſſima continet*, *ut merito*, *in hac Arte medica*, *omne tuliſſe punctum censenda ſit*. Poſterior inquit: *eam*

*) Hic *Auguſtæ* conceptus, *Halæ* in *Tyroli* natus, *Auguſtæ* vero ab infantia educatus, Vir qualis ac quantus fuerit, diſces ex ipſo KHAMMIO, *P. II. Colleg. Hierarch. Auguſt. p.* 382.

h) Ita *Hiſtoria litterar. Ord. S. Bened. l. c.* Mihi viſa non eſt hæc lucubratio.

eam gratiori exponendi methodo amoeniorique ſcribendi ac deducendi ſtylo elaboratam, juriumque textibus & claſſica auctoritate ubique firmatam eſſe: optatque, ut vita longior ac fauſtiſſima Auctori contingat, *quò, per ſcripta eiusdem, illa quoque, quæ hucusque clauſa reconditaque in penitioribus Jurium arcanis latuerant*, pro Immunitate eccleſiaſtica ſtabilienda, *aperta promptaque fiant.*

XV. *Compendium Philoſophiæ univerſæ.* 1697. *i*).

XVI. *Summulæ Logices præcipuis Summuliſtarum controverſiis locupletatæ* in 8o. *Auguſtæ Vindel.* 1698. Opus, quod *non ſine maximo docentium æque ac diſcentium adjumento manibus paſſim tritum fuit;* uti ex *Rotula* monet *Hiſtoria litteraria Ord. S. Benedicti*, *T. III. p.* 458. quæ tamen in *T. IV. p.* 291. hoc judicium, Libro admodum honorificum, aut recantare voluit, aut minus advertens ſibi contradixit his verbis: *Spiſſum Opus ac craſſæ molis, quod iis tamen, qui ſine fine diſputandi ac ſubtiliſandi amore ducuntur, diſplicere non poteſt. Ariſtoteles de illo, quod vere Logica eſt, non niſi parvum opusculum conſcripſit. Cui bono Religioſi juniores legendo tam diffuſo Opere detinentur?* Interim inter *Philoſophos ſcholaſticos* locum *Noſtro* aſſignare minime dubitavit FABRICIUS in *Abriſs einer allgemeinen Gelehrten-Hiſtorie*, *T. III. p.* 1009.

XVII. *Hierarchia Auguſtana chronologica tripartita in partem cathedralem, collegialem, & regularem.* in 4to. Totum *Opus* ex *quinque* Voluminibus conſtat.

Volumen I. excuſum *Auguſtæ.* 1709. et a *Noſtro* Epiſcopo *Auguſtano*, *Alexandro Sigismundo &c.* dedicatum, primo *de nomine, origine, ſtatu, di-*

i) Ita eadem *Hiſtoria*, *l. c.* monet, ſi tamen recte.

viſione, nobilitate ac dignitate Canonicorum in genere, Auguſtanorumque in ſpecie agit, nec non Clericorum ac Canonicorum primordia eruit: deinde *Epiſcopos, Proepiſcopos, Præpoſitos, Decanos, & Canonicos Eccleſiæ cathedralis Auguſtanæ deſcribit, eorumque geſta narrat &c.* Dicti *Voluminis* exemplar cùm *Noſter Joanni Wilhelmo* Electori *Palatino* obtuliſſet, ſequentes â SSmo. Principe obtinere meruit: *Præclare de orbe litterato ac imprimis de patria tua meritus es, Vir reverende! quando Auguſtanæ Dioeceſeos, eiusque Præſulum hiſtoriam longa temporum caligine involutam labore non poenitendo in lucem retraxiſti. Nobis autem perquam acceptum fuit, huius tuæ operæ ſpecimen ſimulque obſervantiæ erga nos tuæ ſingulare teſtimonium coram intueri. Uti vero laudem et nomen perpetuum pro egregio iſto ſtudio tibi patria et litterarum amantes debent, ita electoralem noſtram gratiam et benevolentiam tibi tuoque monaſterio conſtantiſſime accreviſſe ſcito, et vale! Düſſeldorvii, XXIII. Junii, MDCCIX.*

Volumen II. excuſum *ibidem*, 1712. & *RRmo. Eccleſiæ cathedralis Auguſtanæ Collegio* inſcriptum *Præpoſitos, Decanos, & Canonicos Eccleſiarum collegiatarum Auguſtanæ Dioeceſis adducit; iſtarum quoque ortus, progreſſus, ſtatus ac ornamenta in apricum profert; demum Eccleſiæ cathedralis Auguſtanæ Canonicos, ad exteras dignitates eccleſiaſticas evectos: nec non* NATOS AUGUSTANOS *ad easdem ſublimatos partim colligit, partim deſcribit &c.*

Volumen III. quod *Auctarium Partis I. cathedralis* merito nuncupatur, excuſum *ibidem*, 1714. et *Franciſco Ludovico Comiti Palatino Rheni &c. &c.* Præpoſito *Elvacenſi* &c. &c. &c. dicatum,

non

non ſolùm Principalis et Exemptæ Eccleſiæ Elvacenſis ortus, progreſſus, Abbates, Præpoſitos, Decanos, Canonicos &c. una cum Vita B. Hariolphi, eiusdem Eccleſiæ Fundatoris, aliisque nonnullis geſtis memoratam Eccleſiam concernentibus, publicæ luci reddit; ſed etiàm Equeſtris Teutonici Ordinis Commendas in Dioeceſi Auguſtana ſitas exponit, & per quendam prodromum intricatas controverſias de tribus Pipinis Galliæ Majoribus - Domûs, & duobus Wicterpis Abbatibus Elvacenſibus (qui ſimul Epiſcopi Auguſtani) adducit et deſcribit &c. Accepto iſto *Volumine* reſcripſit *Franciſcus Ludovicus* Noſtro in hæc gratiæ et benevolentiæ plena verba: *Ego, quemadmodum hoc Reverentiæ veſtræ officium, velut devoti in me animi ſui argumentum tanto gratius habeo, quanto amplius Opuſculum iſthoc Eccleſiæ & Capituli mei Elvacenſis juribus induſtrioſo conatu collectis magna ex parte illuſtratum eſſe invenio: ita etiam pro aliquali impenſi laboris recognitione & gratitudinis meæ teſſera Reverentiæ Veſtræ Memoriam quandam Elvacum aſſignavi, cui interea affectum & gratiam meam hiſce confirmo...*

Volumen IV. ſive *Prodromus Partis III. Regularis* (quem eum *Auctor* vocare voluit) impreſſum *ibidem*, 1717. & rurſus *Alexandro Sigismundo* Epiſcopo conſecratum *Canonicorum regularium Ord. S. Auguſtini primævam originem, atque eorum cum Monachis Benedictinis convenientiam refert & explanat: deinceps Monachorum & Monacharum Ord. S. Benedicti, Canonicarum ſeu Canoniſſarum ſæcularium, nec non Virginum Anglicanarum originem ac propagationem explicat & dilucidat &c.* Nota, Lector, ea, quæ *de Virginum Anglicanarum origine &c.* hîc habet Auctor, reimpreſſa ſeparatô li-

bellô fuiſſe *Monachii* 1721. in 4to. *Prodromi* autem huius ſcribendi occaſionem dedit *Noſtro Auguſtinus* ERATH, qui antiquam inter Benedictinos Monachos & Canonicos regulares *Concordiam* et *Convenientiam* (uti *Noſter* ait) edito ſcripto diſciderat, *Noſter* autem reſarcire volebat.

Volumen V. typis *ibidem* exſcriptum 1719. & *Wilibaldo* Abbati *San - Udalricano* dicatum *Monachorum Ord. S. Benedicti, Canonicorum Regularium Ord. S. Auguſtini, & Canonicorum Præmonſtratenſium Ord. S. Norberti, Monaſteria in Dioeceſi Auguſtana extantia, una cum Hoſpitali S. Spiritus Memmingenſi, adducit: originem & propagationem Equeſtris Ordinis S. Joannis Baptiſtæ apponit, et Erdlingenſem Commendam* (*Dioeceſis Auguſtanæ unicam*) *deſcribit &c.*

Hæc *Operis* ſumma eſt, cui etſi *Noſter* ceu fundamenti locô *Caroli* STENGELII *k*) *Commentarium Rerum Auguſtanarum* ſubſtraverit, tamen omnia fuſiùs narravit, dilucidius propoſuit, atque ad ſua usque tempora egregiè continuavit: ita ut non solùm eccleſiaſticam, ſed et profanam Hiſtoriam *Auguſtanam* plurimùm illuſtrâſſe cenſendus ſit. Atque hoc ipſum in *Noſtro* plane laudandum ſibi judicavit *Paulus à* STETTEN, quanquam ſubjungit, duriori in Acatholicos ſtylo *Noſtrum*, uti *Stengelium*, uſos eſſe *l*). *Henricus* SCHUTZIUS *m*) de *Noſtro* ait: *Edidit anno* 1709. Hierarchiam Auguſtanam. *Sed notat in eo* ECCARDUS *T. II. Comment.* *de*

k) V. *Alphabetum III. Bibliothecæ* meæ *Auguſtanæ*. *p.* 155. 169.

l) In *Chronica Auguſtana* vernacula, *T. I.* In *Vorbericht de Scriptor. Rer. Auguſt.* §. *I. No.* 8.

m) In *Commentario critico de Scriptis & Scriptoribus hiſtoricis.*

de Reb. Franc. oriental. p. 473. *n.* 60. *quod una cum* BRUSCHIO *Epiſcopos et Abbates S. Afræ confundat, et hinc miſere hallucinetur. Meminit etiam* Hierarchiæ *huius Index Romanus Librorum prohibitorum.*

Sed quod ad *primum* cenſuræ huius caput, & ECCARDI objectionem attinet; ſcias, Lector! KHAMMIUM ipſum nonnullos Epiſcopos Auguſtanos, quos ECCARDUS expunctos vult, duntaxat ſub dubio, & *ex mera Scriptorum quorundam fide* (ut ait) in *Parte I. cathedrali* ſui Operis, *p.* 106. referre: in *Dedicatione* autem dictæ *Partis* ingenue fateri: *ſe ſeriem Epiſcoporum Auguſtanorum antiquorum ceu veriſſimam et undiqueverſum certiſſimam in apricum non proferre, utpote coævorum Auctorum ſcriptis, aut publicarum actionum inſtrumentis, ad ſinceram genuinamque hiſtoriam requiſitis, non ubique innixam, cunctis etiam ceteris Chronologis de Epiſcoporum Auguſtanorum catalogi incertitudine plurimum conquerentibus; ut vere cum Naſone exclamare liceat:*

Tempus edax rerum, tuque, invidioſa Vetuſtas!
Omnia deſtruitis ...

Quid autem per *Abbates S. Afræ* ſibi velit ECCARDUS, minime capio; melius dixiſſet: *Præpoſitos* vel *Decanos S. Afræ*; nam *Abbates S. Afræ* nulli extiterunt ante annum 1012. quô primùm Religio *Benedictina* in eum locum introducta fuit.

Quod ad *ſecundum* cenſuræ caput ſpectat, ſcias velim, Lector! Opus KHAMMII noſtri, ob *Prodromum Partis III. Regularis*, quem tamen Academiarum *Colonienſis*, *Erfurtinæ*, *Salisburgenſis*, imo in ipſa *Urbe* inclyti Collegii *Caſanatenſis* Theologi, inſuper et alii ibidem nóminatiſſimi ac maxime conſpicui Viri approbationibus ſuis graviſſimis et

egregias Auctoris laudes loquentibus muniverant, in album *Librorum prohibitorum* relatum fuiſſe, *Noſtro* aliisque perſonis ſpectatiſſimis ſtupentibus, ac rei inexſpectatiſſimæ eventu plane attonitis.

Hæc utcunque ſint, & quoscunque nævos in *Opere* iſto aut detexerint nonnulli, aut detexiſſe ſe crediderint, tamen ad *Hiſtoriam Auguſtanam* tam facit, ut eô carere minime poſſimus.

XVIII. *Defenſio cenſoria*, *id eſt*: *Cenſuræ Libri*: Hierarchiæ Auguſtanæ Partis III. Regularis, eiusque Procemii; *nec non*: *Cenſuræ Libri*: ſacræ Solitudinis; *& Libri*: Vitæ SS. Salvatoris Jeſu Chriſti, eiusque Præfationis, *typis impreſſæ*, *à P. Corbiniano Khamm reimpreſſæ*, *ad libram prudentis Cenſoris ſuſpenſæ &c.* in 4to *Auguſtæ Vindel.* 1721. In *Præfatione* Operis adverſùs quendam *Novitiorum Magiſtrum* veſtigia & principia D. *Auguſtini* ERATH ſtrenuè ſequentem ſcripti, ſequentia *Noſter* narrat.

Domino Magiſtro Novitiorum (Autore *ſacræ Solitudinis* ac *Præfationis Libri*: *Vitæ Salvatoris*) mortuo, *quod tandem* defenſivo tutamine *compaream*, *prima forſan fronte vetus mihi obtrudetur paroemia*: Leoni mortuo Lepores inſultant. *Verum* defenſivum *meum tutamen*, *ſeu* Defenſionem cenſoriam, *præfato* Authore, *adhuc vivente*, *ad typum deſtinatam*, *atque anno* 1721. *die* 25. *Januarii à Reverendiſſimo D. D. Eccleſiaſtico* Auguſtano *librorum Cenſore*, *approbatam*, *differendi occaſionem ſuaſit prohibitio mei* Prodromi, *die* 21. *Januarii prænotato* 1721. *anno* Romæ *non ſine mei admiratione emanata*; *qui ſumme ſolicitus præfatum* Prodromum, *ex famoſiſſimis Authoribus*, *nec prohibitis*, *nec prohibendis extractum*, à *Reverendiſſimo Ordinatu* Auguſtano, *ac a tribus celeberrimis* Univer-

verſitatibus *non ſine encomio approbatum, ante eius evulgationem* Romam *transmiſi: atque à Reverendiſſimis, Illuſtriſſimis, et Romanis Eccleſiaſticis magni nominis Viris* Epiſtolari Cenſurâ *non tantum non reprobatum, ſed etiam laudatum* Româ *accepi; adeoque prohibitum obſtupeſcens, ad cauſſam prohibitionis indagandam, omnem jam per aliquot menſes operam impendi, eamque licet exacte non obtinuerim, ſaltem, quòd nihil contra fidem orthodoxam, aut contra bonos mores* Prodromus *contineat, diſerte intellexi. Verum, quia primùm memorati huius* Prodromi *e* Catalogo librorum prohibitorum *expunctio, quam evincere molior, non videbatur currente etiamnum anno impetranda; hinc cunctabundam* Defenſionem *hactenus quidem morabar, ea tamen, (ne de nocivo ſilentio arguar) cum prænominato* Authore *ſepulto non erat ſepelienda; potiſſimùm, quòd mihi dictum et ſcriptum: illius* Præfationem, *quam modo refutare aggredior, fuiſſe elaboratam ab uno vel altero* Paraſtata *cooperante, vel omnino ab aliquo* Hyperaſpiſte, *ipſius vices agente &c.*

XIX. His adde, quod monet *Hiſtoria litterar. Ord. S. Bened. T. III. p.* 458. Plura reliquit in manuſcriptis *Hiſtorica*, quæ, ut aliquando in lucem proferantur, Eruditi peroptant. Nonnulla etiam, ad *Immunitatem eccleſiaſticam* ſpectantia, congeſſiſſe *Noſtrum*, ſatis patet, ex iis, quæ ſuperius *No. XIV.* attuli.

Magiſtro ſuccedant (quod ſuperius monui) *diſcipuli*, nimirùm *Benno de Ruepp*, & *Benedictus* KISTLER: Cœnobitam comitentur Syncoenobitæ *Reginbaldus* BERCKHMAR & *Rupertus* GANSLER.

Benno de RUEPP & *Falckenſtein* tum generis tum eruditionis nobilitate conſpicuus, natus anno

1678.

1678. die 19. Octobr. Ordini *S. Benedicti* in imperiali Aſceterio *San-Udalricano*, *Auguſtæ*, anno 1698. 15. Maii per ſacram *Profeſſionem* ſeſe mancipavit. Ibi eodem anno ad diem 14. Octobris, præſidente *Corbiniano* KHAMMIO, de quo dictum eſt, una cum Fr. Dionyſio *de Lampfrizheim*, Theſes ex univerſa *Philoſophia*: quadriennio autem poſt (1702.) Theſes ex univerſa *Theologia* in Univerſitate *Salisburgenſi* (in hac et doctoralibus *Theologiæ* inſignibus, quô annô mihi incertum, eſt decoratus) multa cum doctrina propugnavit. Sic ſeveriorum diſciplinarum adjumentis apprime inſtructus, domum ùt rediit, Philoſophiam annis 1704. & 1705. docuit: cúmque doctrinæ eius fama brevi tempore per viciniam increbuiſſet, evocatus in *Franconiam*, in *Banthenſi* Ordinis *S. Benedicti* monaſterio *Theologiam*, quam *ſpeculativam* appellant, annis 1706. 1707. 1708. tradidit. Eo munere perfunctus, & patrio redditus monaſterio, theologicis denuo ſtudiis ſpeculativo-practicis juniores Religioſos per biennium (1709. & 1710.) erudivit. His peractis nova in exteras oras, & *Bohemiam* usque vocatio oblata *Noſtro* eſt, RRmo. *Chladrubienſis* monaſterii Abbate invitante, ut ſuæ curæ commiſſos Religioſos ſpeculativæ *Theologiæ* præceptîs imbueret: quod *Benno* noſter annis 1712. 1713. & 1714. quam optimè præſtitit. Inde domum reverſus, anno 1717. *Curſum philoſophicum* iterato incepit, quem etiam anno 1718. ſtrenue proſecutus eſt. Quamdiu *Auguſtæ* remanſerit *Noſter*, dicere non habeo: In *Friſingenſe* autem Lycæum advocatum, annis 1723. & 1724. rurſus *Ordinarii Philoſophiæ Profeſſoris* munus fungentem reperio.

Dum

Dum *Noſter Auguſtæ* docuit, tribus vicibus *Theſes* publicæ Eruditorum diſputationi propoſuit: & ſcholaſticis laboribus domi foriſque egregie perfunctus, quà *Philoſophiæ* ac *Theologiæ Profeſſor emeritus*, vitam *Auguſtæ* finivit, uti docet *Epitaphium* in periſtylio Eccleſiæ *San - Udalricanæ Noſtro* poſitum:

Hic jacet P. R. ac Cl. P. Benno, Comes de Ruepp & Falckenſtein, liberi ac imperialis huius monaſterii Capitularis ac Pater ſpiritualis, SS. Theologiæ Doctor ultra 30. annos, eiusdemque Profeſſor emeritus, qui tam Profeſſionis quam Sacerdotii Jubilæus obiit MDCCLVI. XXXI. Decembris, Aetatis ſuæ LXXVIII. Profeſſionis LVIII. Sacerdotii LIV. R. I. P.

Habetur à *Noſtro* I. *Faſciculus Florum collectus in Viridario Thomiſtico, id eſt: Quæſtiones ſelectiores ex Philoſophia Thomiſtica* in 8o. *Partes tres. Friſingæ.* Pars *tertia* prodiit anno 1724. II. Plura prælo parata eum habuiſſe, tradit *Hiſtoria litter. Ord. S. Bened. T. III. p.* 553.

Benedictus KISTLER, *Auguſtanus*, natus circiter annô 1674. Religionem *Benedictinam* circiter anno 1690. *Auguſtæ* profeſſus, biennio poſt (1692.) Theſes *philoſophicas* ſub præſidio dicti *Corbiniani* KHAMMII, ſequenti vero anno (1693.) Theſes *canonico - morales de Legibus, Jure et Juſtitia* publice defendit. Anno 1699. ad diem 1. Auguſti in Univerſitate *Salisburgenſi* ſuprema Doctoratûs in utroque *Jure* laurea decoratus eſt. Pro junioribus Religioſis curſum *philoſophicum*, & *theologico-moralem* abſolvit domî: pro juribus monaſterii ſtrenue laboravit: pro profeſſura Juris canonici docu-

men-

menta conſcripſit; cui etiam judicio Univerſitatis *Salisburgenſis*, prima occaſione oblata, præficiendus fuiſſet, niſi eum mors immatura vivis citius eripuiſſet, quam publice docendi & ſcribendi initium fecit. Epitaphium eius in ambitu templi hoc eſt:

Anno MDCCXVII. XI. April. Obiit P. R. P. Benedictus Kiſtler imperialis huius monaſterii Subprior digniſſimus. Profeſſionis XXVII. Sacerdotii XIX. Aetatis XLIII. R. I. P.

Reginbaldus BERCKHMAR, natus in has luminis auras circiter anno 1669. Ordini *S. Benedicti* anno 1694. ſeſe addixit. Hunc jam anno 1700. in ſuo monaſterio *ordinarium Philoſophiæ Profeſſorem* egiſſe, eodemque anno in *Fultenbacenſi* Ord. *S. Benedicti* cœnobio publicæ *Diſputationi philoſophicæ* præſediſſe invenio. Fuit & theologicis diſciplinis probe inſtructus, unde etiam ſe in titulis Librorum ſuorum *Theologum* vocat: Parochiam *San-Udalricanam* aliquamdiu zeloſe rexit, & *Subprioris* munus geſſit. Epitaphium eius in ambitu Eccleſiæ viſitur tale:

Die XVIII. Septembris, MDCCXLII. Obiit A. R. P. Reginbaldus Perckmar imperialis huius monaſterii Profeſſus, & Presbyter, anno ætatis LXXIII. S. Profeſſionis XLVIII. Sacerdotii XLVII. R. in S. P.

Multa *Noſter* reliquit partim edita, partim inedita ingenii, doctrinæ, & diligentiæ ſuæ monumenta. Edita ſunt: *I. Trias Quæſtionum logicarum, quam in . . monaſterio Fultenbacenſi, præſide Reginbaldo Perckmar &c. publicæ Diſputationi expoſuerunt* quatuor eius cœnobii Alumni. in 4to. *Campidoni.* 1700. *II. Opus controverſiſticum de*

SS. Sacramentis. in 4to. *Auguſtæ.* 1726. vernaculè. *III. Tractatus de Indulgentiis in genere & de Jubilæo, nec non de Sacramentis Poenitentiæ & Euchariſtiæ eò requiſitis.* in 4to. *Auguſtæ.* 1725. vernaculè. *IV. Dreyfacher catholiſcher Katechiſmus.* in 8o. *Augſpurg.* 1731. *V. Leben und Wunderthaten der drey vornehmſten Patronen der Augſpurgiſchen Kirche: des H. Ulrichs, der H. Afræ, des H. Simperts.* in folio. *Augſpurg.* 1737. *VI. Geſchicht-und Predigbuch von den Heiligen Gottes.* in folio. 3. Tomi. *Augſpurg.* 1738. Opus hoc hiſtorico-concionatorium, *multis vigiliis, improbis laboribus, indefeſſa et accuratiſſima (in evolvendis antiquis Patribus, Bullis pontificiis, Hiſtoricis tam novis quam veteribus) ſollertia congeſtum* Cæleſtinus MAYR Abbas San-Udalricanus, de quo mox dicetur, ſuo nomine offerre *Joanni Franciſco,* Epiſcopo *Conſtantienſi* & *Auguſtano*, minime erubuit. *VII. Leben der H. Jungfrau Radegundis, ſamt einem kurzen Lehrbüchlein, daß man auch in der Welt ein vollkommenes Leben führen könne.* in 8o. *Augſpurg.* Editio *ſecunda*, anno 1761.

Inedita ſunt: *I. Opus*, 10. vel 12. Voluminum, *Polyantheæ ampliſſimæ* 1. in Feſta Domini, in Paſſionem Domini, & Compaſſionem Virginis. 2. in Feſta & Congregationes Virginis. 3. in Feſta Sanctorum per annum, & omnium totius Eccleſiæ SS. Ordinum Fundatorum. 4. de Tempore, ſeu in Dominicas & Quadrageſimam. *II. Opus* aliud *ingens* de univerſis Ordinibus religioſis utriusque ſexûs. Huius perficiendi gratiâ labente anno 1731. *Viennam* abiit, ut in ea urbe principe de Ordinibus religioſis, qui ibi domicilia collocârunt, certiora ex eorundem alumnis exquireret, Vir immanis

et

et fatigari neſciæ diligentiæ. V. *Hiſtoriam litterar. Ord. S. Bened. T. III. & IV.* in quo de *duobus* hisce anecdotis *Operibus* plura invenies.

Rupertus GANSLER *Oenipont*e circa annum 1658. natus, in cœnobio *San-Udalricano Auguſtæ* monachum indutus, in eo loco annis 1696. & 1697. *Philoſophiam* docuit. Alia typis vulgavit: alia meditatus eſt: quæ quo minus elaboraret, ederetque, mors præmatura impedivit, quæ *Noſtrum* anno 1703. die 3. Junii, anno ætatis 45. vivis eripuit. Edita ſunt. *I. Lugenſchmid, das iſt: der unter dem Schein der Wahrheit verborgene, aniezo aber entdeckte Weltbetrug, dem günſtigen Leſer mit bibliſchen Hiſtorien, neuen Concepten, theologiſch- und philoſophiſchen Diſcurſen &c. vorgeſtellt.* in 4to. 3. Partes. *Augſpurg.* Editio ſecunda. 1699-1700. Opus blanda voluptate et rara facundia concinnatum. *II. Olympia victrix: oder geiſtlicher Kampfplaz der unüberwindlichen Tugend in dem Streit der 7. Todsünden.* 1693. rurſus in 8o. *Auguſtæ.* 1706. *III. Olympia accuſata: das iſt, die vor dem ſtrengen Richterſtuhl Gottes über die* 10. *Geboth angeklagte Seel.* 1695. rurſus in 8o. *Auguſtæ.* 1713. *IV. Olympia juſtificata, oder die durch die* 8. *Seligkeiten gerechtfertigte Seel.* in 8o. *Auguſtæ.* 1702. Opusculum dicatum *Caſpari Ignatio* Epiſcopo *Brixinenſi. V. Olympia damnata.* Hanc lucubrationem, mihi non viſam, *Noſtro* tribuit *Theoph.* GEORGI in *Bücher-Lexicon. VI.* Libellus ſatyricus, curioſus ac facetus ſub titulo: *Monſieur Scharxel.* in 8o. 1696. quem, ſeriis lepida intermiſcens, gravioribus curis & melancholiæ pellendæ edidit.

MAYR (*Cœleſtinus*)
Abbas San - Udalricanus.

Donauwerdæ, civitate a præterlabente fluvio *Danubio* nomen ſortita, anno 1679. die 21. Aprilis in lucem editus, a primis annis abs parentibus & virtute & honore ſpectatiſſimis ea ſuxit veræ pietatis initia, ut eum omnes tanquam ſolidæ pietatis exemplar ſuſpexerint. Quam ut, omnibus numeris perfectam, ſibi compararet: factus adultior, poſt emenſum litterarum, quibus imbui juventus conſuevit, curriculum anno 1698. die VIII. Calend. Junii Ordini *S. Benedicti* in celebri eiusdem ſacræ familiæ, ad *SS. Udalricum & Afram Auguſtæ*, cœnobio per ſolenne *Profeſſionis* ſacramentum nomen ſuum dedit. Videre hîc erat, *Cæleſtinum* ad cæleſtis ſapientiæ culmen miro fervore enitentem, & in via religioſæ perfectionis magnis paſſibus incedentem. Abſolutis deinde cum plena laude in Athenæo *Salisburgenſi* theologicis ſtudiis ad monaſterium vix rediit, cum religioſis tyronibus præfectus eſt, eosdem vitæ perfectioris præceptis ad mentem *SS. P. Benedicti* conformaturus. Ab his labente tempore *Salisburgum* pro cathedra *philoſophica* conſcendenda, ut ſupra candelabrum poſitus latius fulgeret, anno 1711. avocatus, poſtmodum in eo ſcientiarum emporio per varios honorum gradus ivit. Namque anno ſequenti (1712.) *Decanus philoſophicæ* Facultatis: anno deinde 1713. *Convictus* religioſi *Regens*, ſimul ac *Præfectus* Scholarum, *polemicæ*que *Theologiæ* Profeſſor renuntiatus eſt.

Anno memorato (1713.) *Noſter*, ſic volente Abbate ſuo *Wilibaldo* POPP ſingulari (quod mo-

nere me memini) litterarum & litteratorum Religioſorum ſuorum Mecænate, ad diem 31. Auguſti doctoralia *Theologiæ* inſignia cepit; cùm jam antea doctoreos in *Artibus liberalibus* & *Philoſophia* honores conſecutus eſſet: cùmque anno eodem (1713.) duos inſignes Tractatus, unum: *Triſmegiſtus diſcurrens*, alterum: *Hyperdulia Mariana*, vulgâſſet, his duabus lucubrationibus, tum etiam officiorum, quibus hactenus præeſſe juſſus fuerat, egregia adminiſtratione ita *Noſtro* fama crevit, ut, necdum *Theologiæ ſpeculativæ*, ſic dictæ, Profeſſor creatus, tamen à RRmo. ac Celſmo. Archiepiſcopo *Salisburgenſi Franciſco Antonio de Harrach*, per diploma annô 1714. ad diem 14. Aprilis expeditum honorifico *Conſiliarii eccleſiaſtici* titulo condecoratus ſit.

His geſtis *Cæleſtinus*, ad altiora indies ſcandens, dicto anno (1714.) die 5. Novembris *Theologiæ ſcholaſticæ* profeſſuram auſpicatus eſt: eodemque anno *Præſes Congregationis* majoris, ſub titulo B. Mariæ in cælos aſſumptæ, a RRmis. DD. Præſulibus *Viſitatoribus* nominatus: anno vero 1716. almæ Univerſitatis *Vice-Rector* ab iisdem Præſulibus conſtitutus, & per programma tam *Profeſſoribus* quam *Studioſis* promulgatus talem ſe præbuit, ut & præfecturâ ſollerter, inſigni cum laude, utilitérque adminiſtratâ indolem rebus agendis aptiſſimam palam fecerit: et facundiſſima verbi Dei prædicatione, atque cultiſſimis ſcientiarum elucubrationibûs, ubique relictis, ingenium omnigena doctrina perpolitum manifeſtaverit. Hinc jure de *Noſtro* dici potuit illud *Iſidori Hiſpalenſis* L. 2. de Synonym. c. 14: *Sapientiam cum ceteris impertiris, magis illam auges.*

Pro-

Promovit *Baccalaureos* anno 1712. pridie Nonas Julii *ſexaginta quinque*: *Magiſtros* anno 1713. III. Calend. Septembris *triginta quatuor*: *Doctores* et *Licentiatos* quamplurimos.

Nondum ſatis — Dum honoribus oblatis, dum ſuſceptis muneribus egregie fungitur *Noſter*, dignum ſe fecit, cui novus honor, novum munus decerneretur. Itaque anno 1719. ad *Procancellarii academici* dignitatem eſt evectus: dumque virtutis et doctrinæ radios undique diffundit, ita in ſui admirationem omnes traxit, *Senatum* inprimis *academicum Juvavienſem*, ut ei unanimibus ſuffragiis rei litterariæ faſces anno 1728. detulerit, & *Rectorem magnificum* gaudens conſalutârit. Hoc modo comprobata eſt in *Noſtro* veritas dicti illius, quod *Proverbiorum* 4, 8. legimus: *Arripe ſapientiam, et exaltabit te; glorificaberis ab ea.*

Dignitate ſibi collata ſic per conſuetum triennii ſpatium uſus eſt *Noſter*, ut & ſtudia maximum inde ceperint incrementum: et ipſe ab omnibus, ſummis etiam Principibus, qui eius conſilia ſibi crebro petebant, veluti quoddam ſapientiæ oraculum haberetur. Sermonis autem tanta valuit gratia ac vi, ut, ſive ex academico ſive eccleſiaſtico ſuggeſtu diceret, audientium omnium aures ac corda ceu aliquo eloquentiæ prodigio ſuſpenſa teneret.

Litterariis demum feſſus, & vix non fractus laboribus, è Parnaſſo *Salisburgenſi* ad nemora, *Præpoſituram* ſcilicet *Liedzheimenſem* translatus fuit: quam cum regendam ſuſcepit, mox de domo Domini ædificanda cogitavit, et ſplendidiſſimum ei templum in *D. Leonardi* honorem à fundamentis exſtruxit, quod advenas omnes in admiratio-

nem trahit, æternaque memoria *Cæleſtinum* coronat.

Præpoſiti Liedzheimenſis dignitas ad aliam, eamque ſublimiorem, ſtraviſſe *Noſtro* viam viſa eſt, honore eum domi foriſque, ac jugiter conſequente. Itaque, cum annô 1735. *Wilibaldus* POPP Abbas longè digniſſimus *San - Udalricanus*, immortalem præclare geſtorum famam poſt ſe linquens, rebus humanis valedixiſſet, *Noſter* annô memoratô ad diem 17. Julii pedi dignitatisque abbatialis, nemine contradicente, ſuffragantibus cunctis, hæres eſt renuntiatus.

Abbatiali honore auctus miris fulſit virtutibus. Comitatem gravitati ſocians, & ipſo vultu ſapientiam prodens, omnibus ſeſe amabilem ſimul ac venerabilem reddidit. Humilitatis apprime ſtudioſus, ad omnes cuiusvis conditionis homines ſe demiſit; delatos ſibi honores debitasque laudes non niſi nauſeans admiſit. Quantopere encomia averſaretur, vel hoc uno ſatis oſtendit, quod merita ſua etiam poſt mortem, quando ex teſtimonio *S. Maximi* (Homil. de S. Euſebio Vercellenſi) *nec laudantem adulatio movet, nec laudatum tentat elatio*, ſolita funebri laudatione deprædicari ſerio inhibuit. Unionis & charitatis ſtabiliendæ ac conſervandæ ſtudio flagrans, inter ſuos & cum exteris pacis vinculum illæſum ſervavit. Mitis et clemens erga omnes, manſuetudine potius quam ſeveritate gregem ſibi commiſſum rexit, errantes modis paterno ſemper affectu plenis corrigens. Liberalitatem ſibi quaſi congenitam habens cœnobitas ſuos, ſi qua re deficerent: pauperes opem flagitantes, ſubditos ſiniſtris eventibus preſſos ære atque omni opera adjuvit. Pius erga Superos di-

vinis

vinis officiis, dum vires ſuffecere, nec magna obſtitere negotia, frequentiſſime adſtitit, & (ut indefeſſo honoris Dei zelo agebatur) in exſtruendis vel purgandis ornandisque templis et ſacellis ſollicite excubavit. Patientiam ſectans, inter bellicos tumultus, in agrorum vaſtitate ac ſterilitate, in omnibus adverſis æquo et immoto animo ſtetit, præcipue in variis iisque moleſtiſſimis corporis infirmitatibus, quibus jam aliquibus ab annis conflictabatur.

Dicet fortaſſis naſutus quidam Cenſor: Merita Viri chriſtiani hæc ſunt, non litterati. Quare ad lucubrationes *Noſtri* enumerandas mox tranſibo; ac triſtes mortis eius circumſtantias deſcripſero. Dictæ infirmitates indies magis ac magis invaleſcentes, fractæ membrorum vires, *polypus* (quem vocant) vitæ ſpiracula intercludens, accedente *gangræna* intima depaſcente viſcera, mortem vicinam *Noſtro* denunciabant, quam tamen ille imminentem intrepido excepit animo. *Sapientiſſimus quisque æquo animo moritur*, ut Princeps Oratorum *Cicero* ait; et: *Neque gravis mors forti viro poteſt accidere, neque miſera ſapienti.* Igitur *Cæleſtinus* ſacris morientium Sacramentis pro more ſanctæ Eccleſiæ Dei communitus, poſtquam filiis ſuis circa lectulum mortualem in lacrymas effuſis ſolus ipſe ſerena fronte ultima paterna monita inculcaſſet, eisque manu, quantum fugientes vires permiſerant, elevata benedixiſſet, anno 1753. die 19. Martii, *S. Joſepho* Chriſti nutritio ſacra, placidè grandem animam creatori ſuo transmiſit.

Scripta, quæ *Noſter*, dum *Saliſburgi* fuit, vulgavit, inveni ſequentia:

I. *Theſes menſtruæ philoſophicæ*, pro more ſeparatis Libellis explicatæ.

II. *Triſmegiſtus diſcurrens ſub triplici facie: ſymbolica, rationali, & naturali.* in 4to. *Salisburgi.* 1713. Ex *Approbatorum* mente *Triſmegiſtus* iſte *miſcens utile dulci, ſpeculationibus philoſophicis varias eruditiones, ter maximus exſiſtit; ingenii ſubtilitate, quâ recondita Veterum ſymbola diſertiſſime in apricum eruit: argumentorum facundiâ, quâ ſpinoſas Philoſophiæ rationalis difficultates ſuaviſſime attemperat: rerum omnium peritiâ, quâ phyſica naturæ myſteria ſolidiſſime dilucidat.*

III. *Hyperdulia Mariana, ſeu Feſta Dei-parentis cultu ſymbolico, philoſophico, hiſtorico-morali, publica Diſputatione celebrata.* in folio, *cum Figuris. Salisburgi.* 1713. Opus â Cenſore *nulla omnino cenſura, ſed omni æſtimatione ac veneratione* dignum habitum; *eoquod non niſi ſana, ſancta, et erudita tractet, tum Marianæ devotioni fovendæ, tum inſtructioni publicæ, præſertim philoſophicæ, promovendæ apprime accommodatum.* Opus, ut *Hiſtoria litterar. Ord. S. Bened. T. IV. p.* 494. teſtatur, *tam magnificum quam eruditum, & auctore ſuo dignum, ſed rariſſimum.*

IV. *Tractatus theologicus de Jure & Juſtitia.* in 4to. *Ibidem.* 1715.

V. *Tractatus de venerabili Euchariſtiæ Sacramento.* in 4to. *Ibidem.* 1717.

VI. *Tractatus de Fide divina.* in 4to. *Ibidem.* 1717. Hunc, ac antecedentem Tractatum, *& doctiſſimos et utiliſſimos* vocat KHAMMIUS in *Hierarch. Auguſt. P. III. Regul. p.* 201.

VII. *De Incarnatione Verbi divini* Lucubratio. in 4to. *Ibidem.* 1718.

VIII.

VIII. *De Myſteriis, Verbi divini Incarnationem præcedentibus, comitantibus & conſequentibus* Tractatus. in 4to. *Ibidem.* 1719.

IX. *De Vita, Morte, aliisque Myſteriis usque ad ſecundum Chriſti Adventum.* in 4to. *Ibidem.* 1720.

X. *De ſecundo Chriſti adventu* Tractatio. in 4to. *Ibidem.* 1721.

XI. *De Statu futuri ſæculi, ſeu de futura Mundi, Beatorum, Damnatorum & Parvulorum conditione.* in 4to. *Ibidem.* 1722.

XII. Concio funebris in honorem *Franciſci Antonii de Harrach* Archiepiſcopi *Salisburgenſis*, anno 1727. die 26. Julii habita ſub titulo: *Wunſch des Gerechten.* in folio. *Ibidem.* Ex huius Concionis titulo liquet, *Noſtrum ſacræ* quoque *Scripturæ Doctorem*, nec non *Profeſſorem* in memorata Univerſitate extitiſſe.

Hæ lucubrationes omnes uti omnium Eruditorum calculo probatæ, ita omnium manibus tritæ fuerunt.

Cæleſtino Abbati ſociaſſe juvabit *Joſephum* Præpoſitum *Liedzheimenſem*, cognomento ZOLLERUM. Hic *Oeniponte* in *Tyroli* natus, Regulam *S. Benedicti* in *San-Udalricano* cœnobio *Auguſtæ* complexus eſt. Inibi circa annum 1712. *Parochiam* adminiſtravit: circa annum 1715. *Subprioris*: circa annum 1728. etiam *Prioris* officium tenuit. Tandem *Præpoſitus* in *Liedzheim* factus, in eo loco vitam beato fine clauſit. Habemus à *Noſtro*:

I. *Sermones X.* habiti in octiduana Solennitate Jubilæi *ſeptimi*, ob introductam in templum *SS. Udalrici & Afræ* Religionem *Benedictinam*, anno 1712. celebrati. Hos collegit in unum, ſe-

riem geſtorum et apparatum deſcripſit, ediditque anno 1712.

II. *Mira ſatis, ac ſine omni peccato, Mariæ ſanctiſſima Conceptio, C. Symbolis chronographice concepta.* in 8o. c. *fig. Auguſtæ.* 1712. Opusculum hoc dicavit *Noſter Franciſco de Enzenberg* cathedralis Eccleſiæ *Brixinenſis* Decano ob gratam beneficiorum tum ſibimet, tum conſanguineis ſuis præſtitorum memoriam. Eodem autem anno ſimilis argumenti Opus maius *Joſephus* noſter vulgavit, nimirum

III. ConCeptVs *ChronographICVs* De ConCepta *ſa*Cra DeI*para, ſeptingentis S. Scripturæ, SS. Patrum, ac Rationum, nec non Hiſtoriarum, Symbolorum, Antiquitatum et Anagrammatum ſuffragiis roboratus.* in folio. *Auguſtæ.* 1712. Huius Operis edendi occaſionem præbuit *Noſtro*, quem *in Chronographicis ſcribendis mire excelluiſſe* tradit *Hiſtoria litteraria Ord. S. Benedicti, T. IV. p.* 182. mox dictum *Jubilæum.*

IV. *Apparatus biblico-chronographicus* 1000. *exquiſitis S. Scripturæ Textibus inſtructus.* in 4to. *Auguſtæ.* 1713. Opus *laborioſiſſimum ac curioſum, mille Textibus ex S. Scriptura (ſine ullius apicis additione vel detractione) depromptis inſtructum, & in ſingulos currentis Sæculi XVII.* (melius XVIII.) *diſtributum pro annua prædicti* Jubilæi *memoria vulgavit*, teſte KHAMMIO in *Hierarch. Aug. P. III. Regul. p.* 194.

V. *Apparatus chronographico-ſententioſus* 1000. *exquiſitis SS. Patrum, graviſſimorumque Auctorum, Paganorum præterea ac Poetarum veterum eloquiis inſtructus.* in 4to. *Saliſburgi.* 1721.

VI.

VI. *App*La*V*ſ*V*s *grat*VL*ator*IV*s e*VC*har*I*ſt*IC*o*-IV*b*IL*æ*V*s Præſ*VLI ſ*V*o *grat*I*oſo q*VI*nq*V*agenar*I*as* P*r*IMI*t*I*as fe*LIC*I*t*er repetent*I *ob*L*at*V*s à F*ILII*s*. in folio, 1728. *Auguſtæ*, Hoc Opere erudito, eleganti, & ingenii poetici pleniſſimo *Wilibaldo Popp* Abbati ſacerdotii quinquagenarii felicitatem *Noſter* eſt gratulatus, *quinquaginta* ſic dictis *Obſervationibus* Vitam eius & inſignia facta enarrans.

WOLFIUS (*Hieronymus*)

Expoſitis hactenus, quæ in præſenti *Alphabeto* dicenda erant, duo jam mihi occurrunt *græcæ litteraturæ Lumina*, æternum patriæ urbi ſplendorem conciliantia: nimirum *Hieronymus* WOLFIUS & *Guilielmus* XYLANDER; quorum *Vitas* daturo mihi ipſa alphabetici ordinis ratio ſuadet, primum de WOLFIO dicere. In quam rem peraccommode cecidit, quòd is (exemplum Veterum quorundam ac Recentium æmulatus) *Vitam* ipſe ſuam, usque ad annum 1570. ſchedis mandavit, *Joanni* OPORINO celebri typographo & amico ſuo transmiſſis *), quas integras edi optans magis, quam ſperans *Jacobus* BRUCKERUS earundem *ſynopſin* in *Miſcellaneis Hiſtor. crit. philoſ. litter. pag.* 356-381. exhibuit. Hanc ſequi tutiſſimum judicavi **). Sequor autem ita, ut in *Vitæ* Noſtri *circumſtantiis* enarrandis plerumque verbis ac phra-

K 5 ſibus

*) Vide *G. A.* MICHEL *Oettingiſche Biblioth. T. III. p.* 159. qui titulum huius meletematis manuſcripti affert. Vide item *Oratorum græcorum Volumen VIII.* a *J. J.* REISKE, Lipſiæ. 1773. editum., qui etiam *Vitam* WOLFII, ab ipſomet conſcriptam, exhibuit.

**) Ante BRUCKERUM *Melchior* ADAMUS Vitam WOLFII noſtri dedit in *Vitis Philoſoph. p.* 141. ex quo hauſerunt,

ſibus BRUCKERI utar: quin tamen non pauca, haud ſpernenda, de meo in medium proferre omittam. In iis autem, quæ ad *Doctrinam Scriptaque* Noſtri ſpectant, exponendis morem antiquum ſervo; Doctorum de *Noſtro* judicia indicando, Operaque eiusdem, illorum editiones, et reliqua huc ſpectantia univerſa multo fuſius, diſtinctius, accuratius recenſendo. Sed ad rem!

WOLFIUS noſter, anno poſt Chriſtum MDXVI. Idibus *Auguſti*, intra 6. & 7. horam pomeridianam, in Arce *Oettingana* natus, parentem habuit *Georgium*, Virum in Comitatu veteri *Oettingano*, nec virtute, nec dignitate, nec eloquentia poſtremum: vetuſtate generis et equeſtris ordinis prærogativa conſpicuum. Avus *Ulricus*, nobilitatis inſignia militari virtute decorans, Comitibus *Oettinganis*, & Reipublicæ *Auguſtanæ*, cuius quadringentos milites duxit, ſtrenuam navaverat operam *a*). Sorores tres, quarum in ſe fidem, amoremque maxime prædicat *Noſter*: fratres ſortitus eſt quatuor, quibus cum *Noſtro* ſupervixit unus, *Henricus*, Philoſophiæ ac Medicinæ Doctor, Phyſicus *Norimbergenſis*, & ipſe à doctrina, linguarúmque græcæ ac latinæ cognitione apprime inſtructus *b*). Sed

ferunt, quotquot poſtea *Noſtri* memoriam egerunt. Idem ADAMUS laudat *Matthæi* DRESSERI *Orationem* de *Noſtro* mihi haud viſam. His addi debet *Carmen lugubre Joannis* MATSPERGERI de quo infra dicetur, pleriſque omnibus ignotum.

a) *Paulus à* STETTEN in *Hiſtoria Auguſt.* vernacula, *T. I. p.* 190. & BRUCKERUS in *Miſcellan. p.* 356. 358. Plura de parentibus, fratribus, ſororibusque *Noſtri* affert *Ph. Alb.* CHRISTFELSIUS in *Singularibus Oettingenſibus*. 40.

b) Colligo hoc ex eo, quod *Noſter* fratri huic ſuo *Henrico Specimen demoſthenicæ recognitionis* ſuæ anno 1568. trans-

Sed non eſt huius loci, de familia illuſtri, quâ ſatus fuerat *Noſter*, longius dicere. Quare quisquis plura ſibi petit, adeat *Martinum* CRUSIUM in *Annal. Suevic. Dod. II. p.* 671. & *Dod. III. p.* 2. 310. 474. ISOCRATIS *Gnomologiam græco-latinam*, 1572. â *Noſtro* editam, ubi in *Prolegomenis* Inſignia gentis ſuæ exhibuit, docto carmine cohoneſtata. SEYFERTUM in *Tabulis genealogicis* vernaculis. Iſtud verò neutiquam ſilendum puto: *Wolfiorum* familiam in *Noſtro* & fratre eius *Henrico* defeciſſe. Huc ſpectant verba *Hieronymi* noſtri *c*) ad fratrem *Henricum* mox nominatum: *Exiſtimatio tua æque ac mea hîc agitur; nam cum tibi conjugium filiolas tantum incolumes donarit, mihi*

transmiſit., ut ex ipſo, *& candido et ſevero judice*, cognoſceret, *quid in hoc conatu is probaret, improbaretve.* Vide DEMOSTENEM â *Noſtro* quartùm editum 1572. *Baſileæ*, ſub finem *Tomi II.* ubi addit: *Cum omnia non modo Philoſophorum & Medicorum, ſed Oratorum etiam, inter quos præcipui tibi fuere* CAMERARIUS *et* STURMIUS, *dicta celeritate calami pene incredibili ſis aſſecutus, fieri nullo modo poteſt, quin illa ita alte animo tuo ſint infixa, ut nulla poſſint oblivione deleri: easque radices egerint, ut ſolida eruditio & (fructus eruditionis) judicium inde pullularit & effloruerit. Etſi enim, me auctore, paulo ſerius ad utramque linguam, et ingenuas artes addiſcendas acceſſiſti, tamen Deus conatus tuos .. ita fortunavit, ut longe et diutius, & felicius, & conſtantius, ſub præſtantiſſimis Agonothetis, in .. celeberrimis Germaniæ & Galliæ Academiis ita decurreres, ut ordinatim honores peteres, & magna cum laude laureolam conſequereris.* Confer CHRISTFELSIUM *l. c. G. Andr.* WILL in *Nürnbergiſchen Gelehrten-Lexicon*, & præcipue *G. A.* MICHEL in *Beyträgen zur Oettingiſchen Geſchichte*, *T. II. p.* 195. ubi de *Commercio Henrici* huius *epiſtolico MSSto* ex Bibliotheca *D. Thomaſii Norimbergâ* ad ſe delato agit: nec non *Eiusdem Oettingiſche Bibliothek. T. III. p.* 174.

c) Vide *loco* mox *citato*.

mihi filios vita cœlebs d) negarit, neque noſtræ gentis ac nominis quisquam ſuperſtes nobis fore videatur: libri noſtri Liberûm loco nobis eſſe debent, quibus Wolfianum nomen ab oblivione poſteritatis & ab interitu vindicetur. Quo magis opera etiam danda eſt, ut cum laude ac gloria potius, quam cum ignominia ac probo id fiat.

Infantiam *Noſtri* incommoda mox valde gravia comitata ſunt. Mater amentiâ inſanabilî laborare cœperat: in fratrem natu majorem, ſororesque peſtilentia ſæviit: res œconomica patris diffluxerat: ipſe *Noſter* ex inteſtino apoſtemate mortem ſibi imminentem vix, chirurgi cuiusdam potione conſanatus, evaſit. Atque ex hoc morbo ſiniſtrum oculum nonnihil diſtortum, contra dextrum firmiori roboratum acie recepit.

Ephebos egreſſus, cum ingenium acutum et percipiendis litteris aptum oſtendiſſet, usque ad annum ætatis undecimum partim rure (Confer *Ph. Alb.* CHRISTFELSII *Singularia Oettingenſ.*) partim per belli ruſtici tempora *Nördlingæ* cum quodam ſacerdote manſit, parum tamen (ultra lectionem & ſcriptionem, quæ nec elegans nec diſtincta ſatis fuit) apud eundem tum ob ſtudiorum inconſtantiam, quam paternæ œconomiæ diſſipatio attulerat, tum ob ipſius inhumani præceptoris injurias profecit. Ea re adductus parens filium *Theobaldo* GERLACHIO, *Billicano e*) Theologiæ Doctori,

d) Hanc à re uxoria abſtinentiam improbat in *Noſtro*, quin ullas ſolidas rationes afferat, *Melch.* ADAMUS in *Vitis Philoſoph. p.* 142. Laudat vero SCHENCKIUS, de quo poſt *Noſtrum* agam.

e) De GERLACHIO vide JOECHERN in *Gelehrten-Lexicon*, & *Auctores* ab hoc citatos.

tori, *Nördlingæ* tradidit, græcæ latinæque linguæ elementa, & dicendi ac diſſerendi artem edocendum. Sed huius diſciplinam paulo ſeveriorem non ferens, *Norimbergam* ad *Chriſtophorum* JULIUM, veriori nomine GUGELIUM, uti monet *G. A.* WILL in *Nürnbergiſchen Gelehrten-Lexicon*, Jureconſultum miſſus *Noſter*, & ab hoc *Sebaldo* HEIDENO *f*) commendatus, iſtius Pædotribæ perquam docti ſimul ac ſollertis inſtitutione non ſine aliqua ingenii & induſtriæ laude ab anno 1527. ad 1530. uſus eſt. Iisdem ferme temporibus monaſterium *S. Ægidii*, juſſu Senatûs *Norimbergenſis*, in Gymnaſium tranſiverat; in hoc miſſus à *Sebaldo* præceptore *Hieronymus*, etſi ibi Joachimus *Camerarius* græcas latinasque litteras ac philoſophiam: Eobanus *Heſſus* Poetas latinos: Michael *Rotingus* dicendi artes: Joannes *Schonerus* matheſin: Joannes *Böſchenſtainius* linguam hebraicam docerent; tamen ex magnorum horum Litteratorum *g*) præceptionibus neutiquam tantum utilitatis cepit, quantum capere potuiſſet; ſi non immatura adhuc ætate fuiſſet (etenim vix annum ætatis 13. expleverat) nec ei omnia obſcura ac difficilia viſa fuiſſent. Tandem, ubi aures ſibi aperiri, et fructum aliquem ex iis, quæ tradebantur, percipere ſe credebat, parentis litterîs domum eſt revocatus: qui nuntius magna rerum omnium deſperatione animum *Noſtri* replevit, adeo ut

f) Hic anno 1548. *Pædognomiam, lat.* & *germ.* edidit in 8o. *Norimbergæ*, teſte *Mart.* LIPENIO in *Biblioth. philoſoph. p.* 729. Ab eodem HEIDENO vidi etiam *Nomenclaturam Rerum domeſticarum* in 8o. *Auguſtæ. Typis Michael. Mangeri.*

g) Plura de his *Eruditis* monere non attinet; cum à nullo, niſi rei litterariæ penitus ignaro, ignorentur.

ut puerili iracundiâ parenti reſcripſerit: *ſe delectari ſtudiis, & præceptorum judicio iis idoneum eſſe; ſi abſtrahendum pater arbitraretur, ſartori vel ſutori inſtituendum traderet; eius voluntati parere ſibi neceſſe eſſe.*

Reconciliatâ patris gratiâ, domum ùt rediit, præceptorum commendationibus munitus; *Chriſtophori* JULII ICti. de quo ſuperius mentio incidit, Cancellarii apud Comitem *Oettinganum*, ſervitiis deſtinatus fuit, reditûs aliquando in ſcholam permittendi ſpe facta. Quod patris conſilium eo ſpectavit maxime, ut indoles *Noſtri* triſtior ſeveriorque, ac ſolitudinis quam frequentiæ amantior aulica hilaritate dilueretur, & congenita iracundia, improbandæ cuidam pertinaciæ juncta, dicteriorum conſuetudine leniretur. Ceſſitque feliciter paternum propoſitum, cum *Noſter* inde quavis ove placidiorem animum ſumſerit. Atque hôc in locô probe obſervandum venit: WOLFIUM non ſolum *Chriſtophorum* JULIUM, ſed poſtea etiam eius filium ſui amantiſſimos: præterea Comites *Oettinganos*, *Ludovicum*, *Fridericum &c.* erga ſe ſuosque, beneficentiſſimos expertum fuiſſe. Vide infra in *Catal. Opp. Noſtri*, *No. XV.*

Hæc inter, cum WOLFIUS ob probitatem ac diligentiam â Cancellario et Aulicis vehementer diligeretur, dura Collegæ alicuius (forſitan hunc tacitus livor urebat) pertinacia, *Noſtrum* in conclave ſcribis deſtinatum non admittentis, effecit, ut in publico hypocauſto legendum ei ſcribendumque fuerit: immo eiusdem Collegæ, *Noſtrum* non modo dicteriis ac cavillis, ſed etiam oſſium ac calceorum grandine inſectantis, improba ruſticitas neceſſitatem impoſuit in montem vicinum vel

rus

rus ſecedendi, ut Muſis ſuis frueretur. Per illud tempus *Eraſmi*, *Melanchtonis*, & *Vivis* libellos, quos cum aliquot *Poëtis* de ſuo peculio *Norimbergæ*, fraudato etiam genio ſuo, emerat, non ſine aliquo fructu lectos ſibi fuiſſe, ipſe connotavit. Neque tamen vel hos ſatis bene atque ex integro intelligebat, quod *Lexico* careret, & abs Cancellario Viro ceteroquin docto, ſed in his ſtudiis (*poeſi* ac *lingua græca*) minùs verſato adjuvari haud poſſet. Urgebat autem idem Cancellarius identidem *Noſtrum*, ut relictis manſuetioribus Muſis ad Juriſprudentiæ ſtudium ſeſe conferret; ſed is, averſum â Themide animum præter rem gerens, monitis parere recuſabat: quod poſtea, malô ſuô vitæ ſcholaſticæ tædia ac labores â Cancellario ſibi prædictos perpeſſus, graviter doluit.

Interim, quod librorum neceſſariorum aut debitæ inſtitutionis deerat, induſtriâ ſupplendum ratus, ſummo mane ſurgebat excitatus â vigile, et in dicendi ac fingendi arte (cum non eſſet, qui juvaret) ſatis infeliciter ſe exercebat: inſuperque, didaſcali munus ſibi arrogans, *Terentium* novitius præceptor parochi filiis prælegebat. Cum vero ob hoc vitæ genus ab Aulicis, tanquam fatuus, rideretur, cepit et ipſe propoſitum, agendi Aulicum: libriſque ciſtæ impoſitis *Nördlingam* excurrit, in nundinis pugionem, pileum, et quæ fert alia conſuetudo aulica, comparatum. Sed mercatoribus peregrinis jam digreſſis, tabernam præ nimia timiditate & immodico pudore ingredi nolens, viam relegere parabat; cum forte in bibliopolam incidit *Francofurto* libros afferentem. Ab hoc tum *Valerio Maximo*, tum *Gilb. Longolii Lexico*

xico græco - latino, nonnullisque aliis poeticis ac rhetoricis coemptis, & domum, & cum Muſis ſuis denuo in gratiam rediit; quas cum, pro eo ut vellet, colendi opportunitatem non haberet in aula, ſcholam poſtliminio repetere decernit.

Hoc diu noctuque meditans morbo correptus fuit, â Venere quadam ægre ferente, quod caſte viveret, ſtudiisque jugiter invigilaret, ſibi (ut ſuſpicabatur) conciliato; quocum per ſeptennium conflictatus, tandem anno 1541. *thermarum ferinarum*, quas ſæpius poſtea in vita ſibi ſalutares expertus eſt, uſu convaluit.

Interea temporis, patre ſtudiorum ſumptus in unum alterumque annum denuo ſpondente, anno 1535. Calend. Martii *Norimbergam*, ad veterem præceptorem reverſus: et, cum *Ægidianum* gymnaſium plerisque didaſcalis ſupra nominatis orbatum inveniſſet, *Joachimum* CAMERARIUM *Tubingam* abeuntem ſecutus eſt. Hinc eum apud CRUSIUM inter *Inſcriptos* Scholæ *Tubingenſis* ad hunc annum (1535.) diemque 20. *Auguſti* lego. Quod autem CAMERARIUM de certa ſtudiorum ratione ineunda præ verecundia conſulere omiſiſſet, tum ex *eiusdem*, tum etiam BIGOTII, CÆSARII, GEBHARDI, HILDEBRANDI, philoſophica & mathematica tradentium, lectionibus, haud ſatis accurata utriusque linguæ cognitione impeditus, exiguum fructum ſibi parabat. Proficiebat autem paulo melius ex SCHEGKIO *Lucianum*, CAMERARIO *Sophoclem*, BENIGNO *Quintilianum*, VEJO *Salluſtium* interpretantibus, nec non ex privatis *Sebaldi* HAVENREUTERI prælectionibus. Eodem temporis ſpatio cum SCHEGKIUS etiam in ISOCRATIS *Evagora* dilucidando operam poneret, ea pri-

ma

ma *Noſtro* occaſio græcum hunc Auctorem legendi fuit, primumque item incitamentum, eundem poſtea in vita edendi ſæpius.

Conſtituerat WOLFIO pater breve biennii ſpatium (id ubi exactum eſſet) deſtinatum ſecum habens: filium nuncio Muſis remiſſo in aulam *Ferdinandi* regis ablegare. Ea res *Noſtrum*, nî Academiam linquere vellet, ſordidum *famuli communis* officium ſuſcipere adegit; ut eſſet, unde ſumptibus parceretur. In eo munere maxima frugalitate ſeſe uſum, multaque inſuper â ſtudioſis juvenibus, qui pro ſua libidine ac voluntate contra Rectoris mandatum nocturno tempore aperiri ſibi Collegii fores â *Noſtro* poſtulabant, paſſum eſſe, ipſus teſtatum reliquit. Horum ille demum impatiens miſſionem petiit, præcipue cum et â patre ex lapſu decumbente domum advocatus eſſet. Is morbus quòd in longum trahi poſſe â Medico crederetur, *Noſter* redire *Tubingam* ad ſtudia juſſus, vix triduô lapſô parentem, ſubita narium hæmorrhagia extinctum, amiſit anno 1536. die 20. Aprilis, quô canes lugubriter ſibi ejulâſſe, connotavit.

Igitur in patriam remeavit, duplici ſalutis ac vitæ periculo, annuentibus Superis, in via deluſo. Qualia divinæ providentiæ ſpecimina, in ſe edita, plura recenſet, præſertim errores in ſylva feliciter ſublatos, ſitimque ardentiſſimam, in caſa ruſtici lacte oblato extinctam: quo, aliisque caſibus tamen, læſo hepate, hypochondricæ ſe infirmitati obnoxium factum fuiſſe, poſtea credidit *h*).

Con-

h) Scire de his plura quisquis avet, conſulat BRUCKERUM *l. c. p.* 357. 362. 363. ob eadem WOLFIUM

cum

Conſtitutis familiæ rebus rurſus *Tubingam* profectus totum ſe Jurisprudentiæ dare decrevit, eúmque in finem *Collegia Juriſconſultorum* adivit. Verùm cum eorum prælectiones haud intelligeret, inſuperque ex ilium morbo, quo per quatuor menſes laboraverat, vertiginem magnamque capitis infirmitatem perſentiſcere cæpiſſet, priſtina ſtudia ſibi reſumenda duxit. In aulam tamen Epiſcopi *Wirceburgenſis*, amicis, præceptoribus, & ipſo Comite *Oettingano* commendantibus venit, receptusque fuiſſet in Cancellariam, ſi fidem ſuam perpetuo obſtringere voluiſſet: quod etſi detrectârat, tamen in Aulicorum numerum â Principe admiſſus, commode ibi & inter optimos amicos vixit; donec ob malum iliacum, quô rurſum urgebatur, domum remiſſus fuit. Sororis inibi curâ ſanitati redditus, *Herbipolim*que reverſus impetratâ redeundi in Academiam licentiâ, *Witebergam* ſeſe contulit. In eo loco *Luthero, Melanchtoni*, *Winshemio*, *Amerbachio* aures commodavit: annotationes magiſtrorum in eos Auctores atque Artes, quas non ex integro audiverat, deſcripſit: frequentata Principis Bibliothecâ bonam partem *Commentariorum Ariſtophanis* calamo excepit, & *Hermetem de Revolutionibus nativitatum* admiratus eſt. Sic, poſtquam in græcis ac latinis litteris multum, non item in Aſtrologia & Matheſi, progreſſus fuit, ſpurcitia urbis ſordibusque offenſus tum etiam pecuniæ penuria monitus, media æſtate anni 1539. ſuo quondam præceptori *Sebaldo Heideno Norimbergæ* operam in diſcipulis publice privatimque docendis locavit: ita tamen ut ſimul

cum CARDANO comparantem; quod et is in Libro: *De Vita propria*, de inimicis, vitæ periculis, oſtentis naturalibus, inſolitis viſis &c. multa narret.

mul græcas litteras ſtudioſe coleret, & Verſiones ſuas ad Textûs græci normam poliret, aucto ſibi ſtipendio jucunde cum amicis vivens, græcîs quoque ac latinîs ſcriptîs verſiculîs innoteſcens urbis primatibus, qui de loco ei meliore, at irrito conatu, proſpicere laborabant.

Difficilis hîc ſe ingerit Quæſtio: utrum WOLFIUS noſter *Italas* quoque viſerit oras? Affirmat THUANUS & *Nic. Comn.* PAPADOPOLI in *Hiſtoria Gymnaſii Patavini*, *T. II. p.* 236. Vitam *Noſtri* exhibens: „ in qua eum *Rhætum* vocari in *gymna-* „ *ſticis monumentis*; nomen eius ad annum 1540. „ albis *Germanorum*, & quidem anno ſequenti „ (1541.) addito etiam titulo *Conſiliarii primi I.* „ *N. G.* (inclytæ Nationis Germanicæ) inſcrip- „ tum repperiri: eum Muſis nomen dediſſe alie- „ no ſumptu, quem diſcipulorum nobilium obſe- „ quiô ſibi comparaviſſet: horum comitem ac pro- „ pe famulum *Patavium* veniſſe eundem, ibique „ in humanioribus litteris græcis juxta ac latinis „ ſub *Lazaro* BONAMICO valde profeciſſe, tradit.“ Contra *Jacobus* BRUCKERUS in *Ehrentempel der deutſchen Gelehrſamkeit* hoc WOLFII iter italicum ex eius *Vita* penitus expunctum vult; eô potiſſimum motus; quod *Noſter* in *Schedis de Vita ſua* huius itineris ne verbulô quidem meminerit: & quod eum ab anno 1539. usque in annum 1541. *Norimbergæ* hæſiſſe, credat. Quid agam? Cui fidem habeam THUANO & PAPADOPOLIO, an BRUCKERO? Suſpendo judicium, donec *Lazari* BONAMICI fruſtra à me in Bibliothecis pluribus perquiſitas *Epiſtolas*, & has inter *octavam*, ad quam diſertiſſime PAPADOPOLIUS provocat, invenero, certus, ex

verbis BONAMICI controverſiam hanc optime dirimi poſſe — Itaque ad alia.

Anno 1541. WOLFIUM invenio, in patriam, nova dogmata novaque ſacra amplexatam, impellente Georgio *Cargo* parocho (Is *Noſtri* vocandi auctor Comiti fuerat, & eum in ædes ſuas habitatum receperat) accerſitum eſſe, ut litterarium inibi ludum aperiret. Aperuit, ſed, ut ait, *mediocri mercede, ſucceſſu nullo.* Quare, cum aliæ quoque moleſtiæ (Nam et Affinis, ſenis ac parci, intemperies, qui ſororem *Noſtri* non, ut par erat, tractabat, faſtidia attulit: & morbus, de quo ſupra dictum eſt, vexavit: & merces maligne ac intempeſtive numerabatur: & Schola nemini magnopere curæ erat) acceſſiſſent, *Viti Theodori* commendatione fretus *Wittebergam* denuo ad *Melanchtonem* ſe recepit, conditionem ſcholaſticam exſpectaturus; quæ demum ei anno 1543. Calend. Januarii in oppido *Mühlhauſen* oblata fuit. Per id temporis à *Melanchtone* græco *Lyncei* nomine inſignitus *Noſter*, diu poſtea eo nomine uſus eſt.

Haud ſatis Schola iſta amplum WOLFII ingenium explevit; cum vix duodecim eſſent diſcipuli utriusque linguæ cognoſcendæ avidi: reliqui vero prima elementa nôſſe, litterasque & legere & formare didiciſſe contenti. A plerisque parentum tamen in honore habebatur *Noſter*, nec ullibi vel ad privata ſtudia opportunius, vel ad corporis valetudinem commodius, quam iſto biennio, fuit. Totum namque *Ciceronem*, *Quintilianum*, *Iſocratem*, *Xenophontem*, *Ariſtotelem* & *Platonem* magna ex parte legendo percurrit: Accedebat *Juſti* MENII conſuetudo admodum jucunda, cui *Melanchton* de meliore nota *Noſtrum* litteris ſyſtaticis commendaverat,

verat, quibus graviſſimum eruditioni *Wolfianæ* teſtimonium ita perhibuit, *ut animum tamen in eo hilariorem ac in actione excitatiorem deſideraret: et virtute eum ſua auctoritatem ſibi comparaturum ſperaret* *). Verum cùm WOLFIUS ex optimo virtutis ſtudio nullam ad ſe auctoritatem redire vel videret, vel (rectiùs) putaret duntaxat: omniaque ſibi contraria evenire (Talia nauſeoſius ille more ſuo quiritatur; quod jure in ipſo reprehendas, uti & in ſubſequente *Xylandro*, utroque in Scriptis nullum ferme querimoniis finem faciente) ſimulque magicis, neſcio, quibus præſtigiis moleſtari ſe crederet, ſedes ſibi mutandas exiſtimavit: urbémque appetens Eruditis frequentiorem, *Viti* THEODORI, ſeu DIETERICHII, Paſtoris *Norimbergenſis* commendatione *Norimbergam* venit, ubi ſelectos Adoleſcentes, *Alumnos* duodecim, curæ ſuæ concreditos, tanta dexteritate erudiit, ut ſe Optimatibus, nominatim Duumviro *Tuchero* maxime commendatum faceret, et ſtipendiô auctô, præter victum honeſtum, ſingulos in ſingulas hebdomadas florenos mercedis loco acciperet.

Jam navigare in portu ſibi videbatur WOLFIUS, cùm eum nova veneficiorum & præſtigiarum procella rurſus in altum expulit *i*). Itaque *Norimbergâ* et conditione ſua relicta, pauliſper apud ſororem *Nördlingæ* commoratus, iter *Tubingenſe*, *Argentoratenſe* & *Baſileenſe* ingreſſus eſt: tum ut veteres præceptores et amicos inviſeret: tum ut *Iſo-*

*) Has litteras commendatitias pleniùs effert *Ph. J.* CROPHIUS in *Hiſtoria* vernacula *Gymnaſii Annæani Auguſtæ*, *p.* 159. 160. quem (ſi lubet) vide.

i) Iſtam *præſtigiarum* hiſtoriam pluribus BRUCKERUS *l. c. p.* 366. narrat, quæ ego brevitatis gratiâ fileo.

cratis quatuor, *Demoſtenis* duas *Orationes*, a ſe converſas, OPORINO excudendas traderet, lectisque à ſe patronis dedicaret. At *Oporinus* mutare conſilium, totumque *Iſocraten* traducere, additô ſumptuum & remunerationis promiſſô, ſuaſit *Noſtro*, atque perſuaſit. Hinc ille *Argentoratum* reverſus, in ædibus veteris amici *Sebaldi* HAVENREUTERI, victum domumque offerentis, *Iſocraten* totum abſolvit, ediditque latinè. In eo loco, ubi licuit, Petrum *Martyrem*, Martinum *Bucerum*, Paulum *Fagium*, Joannem *Sturmium*, & Juſtum *Velſium* audivit: quorum ſecundus ſpem ei præbebat, ſi in claſſe quadam docere vellet, publicæ poſtea prælectionis obtinendæ. Sed noluit *Noſter*, tum quod corporis imbecillitati diffideret, tum quod ſe digniore loco minime indignum imprudenter judicaret. *Iſocrates* autem, Opus *Noſtri* primum, etſi haud omnibus modis perfectum, tamen amicis multum probantibus tantum nomen fecit WOLFIO, ut *Auguſtani* curæ eius traderentur diſcipuli, quos ſubin *Baſileæ* biennio, *Lutetiæ* anno uno inſtituit. Dicto biennio in convertendo & emandando *Demoſthene* *), auctore *Oporino*, deſudavit; tametſi *Amerba-*

*) Obſervavit WOLFIUS ipſe: totum, quod *Demoſtheni* impenderat, triennium ſibi infauſtum fuiſſe: periviſſe pleraque exemplaria, quæ, ex *quinquaginta* remunerationis loco ab *Oporino* accepta, amicis deſtinarat: Patronum 400. florenorum honorarium decreviſſe, &, cum aureos montes amici promiſiſſent, nunquam ſe in maiorem deſperationem & indignationem incidiſſe. Sed nec *Demoſthenem* poſtea labentibus annis in herili Bibliotheca recognitum, *Aeſchine* adjuncto, feliciorem fuiſſe expertum; cum Patronorum offenſam ea editione incurrerit, ob adjectam *Elegiam* ad fratrem, in qua *Fuggeranæ* familiæ male ominatum eſſe, ſycophantæ quidam clamabant.

buchius ab hoc eum conatu deterreret; quod nec BUDÆUS, nec ERASMUS in illum Græciæ Oratorem quidquam auſi eſſent. *Pauſaniam*, quem inchoaverat, *Abrahamo* LOESCHERO *k*) mandavit: quæ inter â *Ludovico* CARINO *l*) rogatus, ut ſibi, *Joannem* FUGGERUM in Gallias comitaturo hypodidaſcalus eſſet, conſulto *Hauenreutero* annuit quidem, ſed non impetravit. Itaque *Demoſtheni* abſolvendo totus intentus, cum ex lapſu graviore dextrum brachium luxatum et confractum oſſiculum haberet, lævâ dextram ſuſtentans, quæ poterat, chartæ illinivit. Jucunda quoque *Noſtro* ibidem, et utilis *Sebaſtiani* CASTALIONIS, utpote cuius judiciô in emendanda *Verſionum* dictione utebatur WOLFIUS, verùm haud diutina amicitia fuit. Scilicet CASTALIONEM, familiam operarum typographicarum utcunque ſuſtentantem, pro tenuitate ſua ſublevârat initio WOLFIUS; poſtea, *Auguſtam* delatus, intermiſit arbitratus CASTALIONEM, græcas litteras prælegendi officio auctum, ſua haud amplius ope indigere. Hæc prima diſcidii cauſſa: altera, quod CASTALIO, de *Bibliis* a ſe editis, amici WOLFII Verſus propempticos rejeciſſet atque repudiaſſet. Sic, offenſione utrinque ſumpta, CASTALIO ſuâ potiſſimum ope in *Verſionibus* conficiendis adjutum WOLFIUM eſſe jactitavit: quod *Noſtrum* graviter uſſit, innato gallicæ gentis vitio accidere reputantem, quod eos ſui contemptores haberet — Hæc ſatis ſunto *m*).

 Edi-

k) *Pauſaniam* LOESCHERUS anno 1550. *Baſileæ* in *folio* excuſum *Jo. Jac. Fuggero* dedicavit.

l) Officia â CARINO præſtita ſibi *Noſter* præmiſſa *Nicephoro Gregoræ* elegiâ prædicavit.

m) Conſule de hac diſſenſione, ſi lubet, *Præfationem* *Noſtri*

Edito demum *Demoſthene*, cum diſcipulorum parentes WOLFIO, *Lutetiam* pergendi mandatum dediſſent, id Opus dorſo *Auguſtam* attulit, ab *Antonio* FUGGERO gratioſe acceptus: repetitaque *Baſilea*, iter *Pariſios* comitantibus ſedecim equitibus inivit. In ea urbe Michaelem *Vaſcoſanum*, Jacobum *Gropylum*, Petrum *Ramum*, Adrianum *Turnebum* benevolos ſibi: malevolentem contra Joannem *Strazelium* regium Profeſſorem invenit, qui *Demoſthenis* verſionem à *Noſtro* adornatam pro ſuggeſtu exagitavit: quin tamen de ea cum *Noſtro* coram loqui & conferre unquam auſus ſit. *Qua re* (addit ADAMUS *l. c.*) *iſte Gallus non obſcure indicavit, alienæ laudis invidia magis, quam vera aliqua cauſſa impulſum ſe eſſe, ut Wolfii interpretationem maledico dente carperet. Doluit ſcilicet ab homine Germano præreptam Gallis tantam laudem, qualis eſt vere magna, Demoſthenem in Germania à Germano latine loqui cum Germanis, Gallis, Italis didiciſſe: quod ante id tempus didicerat à nemine n*). Sed ad alia. Repperit *Noſter Pariſiis* etiam aliquot Germanos ſui ſtudioſos, hosque inter Sigfridum *Pfinzing* Norimbergenſem, Ambroſium *Lobwaſſerum*, poſtea Juris Profeſſorem *Regiomonti* in *Poruſſia*, & alios.

Aſt cum *Lutetiæ* nihil *Noſtro* arrideret, diſplicerent omnia *o*), quærens facultatem in Germaniam

niam

Noſtri in *Iſocraten:* Confer, quæ in meæ *Bibliothecæ Auguſtanæ Alphabeto VI. p.* 84. 85. ad iſtam rem occurrunt.

n) Merito itaque WOLFIUS STRAZELIUM paſſim in *Præfationibus*, et in *Elegia Nicephoro* præfixa acrius pupugit.

o) Inter alia BRUCKERUS *l. c. p.* 369. monet: *Noſtrum æſtus Sorbonæ in adverſæ Religionis aſſeclas, ſibique de* peri-

niam redeundi, diſcipulis de hypodidaſcalo, ſibi de alia conditione providit. Offerebatur ea duplex, una apud *Joann. Jacob.* FUGGERUM, altera in aula Principis *Mauritii* â *Chriſtoph.* CAROLOVICIO, neutrâ tamen ſucceſſum tum habente. Igitur *Baſileam* hyeme pedibus remeans, defatigatus, carro conducto advenit, a nemine, ne ab *Oporino*, in ſe alioquin optime affecto *p*), admodùm benigne amiceque exceptus: quod inconſtantiâ ſuâ omnium offenſionem incurriſſet: *Martinô* tamen *Borraô Cellariô*, Theologô *Baſileenſi*, id operam dante, ut *Wolfius* græcis litteris docendis præficeretur decretô muneris ſtipendiô XXXVI. Coronatorum: quod ipſum exiguum deputans *Noſter*, typographicam dein ſervitutem exoſam habens, volensque inſuper peſtilentiæ, quod graſſari cœperat, fugere malum, relicta *Baſilea*, per iter *Kaufburæ* â Georgio *Hermanno q*) & Georgio *Læto r*) humaniter habitus, *Auguſtam* tetendit, poſt initas ibi de rebus ſuis rationes patrios lares repetiturus.

Appulit autem *Auguſtæ* eo tempore, quô *Carolus V*. ibi Imperii comitia egit, unde in ædibus Conradi *Mairii* Conſulis, Patroni ſui, vix locum invenire potuit. Atque hæc eſt epocha, ex qua

L 5 Augu-

periculo timuiſſe. Sed cum plures eo tempore degerent *Pariſiis* juvenes eorundem ſacrorum, ac *Noſter*, aſſeclæ, neſcio, cur habuerit WOLFIUS, quid ſolus ipſe metueret. Niſi forte ex lite, quam cum STRAZELIO habuit, ſibi mali quidquam oriri poſſe, veritus ſit.

p) Conſule *Elegiam Noſtri* mox laudatam.

q) De *Georg. Hermanno* nonnulla monui in *Alphabeto VI. Biblioth. Auguſt. p.* 37. Confer SCHELHORNII *Amœnit. eccleſ. Hiſtor. T. I. p.* 732. *ſeqq.*

r) *Georg.* LÆTI Vitam deſcripſi in *Alphabeto I.* dictæ *Bibliothecæ*, *p.* 98

Auguſtanæ urbi de WOLFIO, tanquam cive ſuo, gloriari licuit. Nam, dum is abitum in patriam meditatur, à *Xyſto* BETULEIO *s*) &, hoc agente, à *Joanne Baptiſta Paulo*que HAINZELIIS *t*) magnis litterarum mœcenatibus, retentus eſt, ut congruam ſibi conditionem (absque ullis ſumptibus ſuis) præſtolaretur. Itaque *Epicteti* Verſionem orſus eſt. Audiamus ipſum de hoc in *Dedicatione* ad *Epictetum* &c. *prima* ſcribentem: *Decimo abhinc anno* (1550.) *Lutetiâ Pariſiorum huc* (Auguſtam) *profectus libellis hisce convertendis adjeci animum. Nam cum Vir egregius Jo. Henr.* Herbardus *ſororius tuus* (Jo. Bapt. Hainzelii) *tale nihil ſomnianti ſed longinquam profectionem adornanti hoſpitium victumque obtuliſſet, illud quidem otium in hoc negotium rectiſſime conferri poſſe exiſtimavi. Sed dum, abſoluto* Enchiridio, *in* Ariani Commentariis *transferendis verſor, ecce!* Fuggeranæ Bibliothecæ *curatio, æque præter exſpectationem, offertur &c.*

Ante ea vero Richardus *Moriſinus* Legatus *Eduardi VI.* Anglorum regis eum ſibi petierat, magna mercede propoſita, in Angliam ablegandum, ut Ducis *Suffolcienſis* filium optimis litteris erudiret: quod tamen conſilium interveniens adoleſcentis mors irritum fecit.

Plus commodi *Noſtro* attulit vocatio (quod mox monui) *Jo. Jac.* FUGGERI, cui WOLFIUS antea *Demoſthenem* conſecraverat. Is Mecænas voluit, ut ſibi in latinis epiſtolis ſcribendis, operam navaret *Noſter*, ſimulque pretioſæ Bibliothecæ herili

s) BETULEII merita expoſui in *Alphabeto V.* dictæ *Bibliothecæ*, *p.* 2.

t) De HAINZELIIS pauca attuli in *Alphabeto V.* & *VI.* eiusdem *Bibliothecæ*. Videri de iisdem poterit GASSENDUS in *Vita Tychonis*.

rili curam impenderet. Interrogatus, quodnam ſtipendium decerni ſibi vellet, nihil ipſe petiit: altero anno centenos ſibi Coronatos dari, non ſine offenſa heri, poſtulavit; cum initiô plus petere bona cum venia licuiſſet. Centum itaque thaleros accepit, promiſſa ſimul, ſiquid defuturum eſſet, heri liberalitate. In eo munere ſexennii ſpatio verſans, etſi ſtipendii nihil acceſſit, ſingularem tamen gentis *Fuggerinæ* humanitatem expertus eſt. Eo tempore *Iſocraten* græco-latinum, & *Demoſthenem* accuratius recognitos edidit; *Æſchinem* præterea & *Commentarium aſtrologicum*, & *Zonaram* convertit. Etſi vero patronus FUGGERUS ad aulicas dignitates promovere *Noſtrum* cogitaret, tamen indoles eius minus ad hoc vitæ genus apta obſtitit: & homuncio, neſcio, quis peſſimæ notæ doctrinam eius ac mores extenuare apud herum, non omnino vano conatu, allaboravit. Fatetur tamen *Noſter*, ſe (ſi occaſione uti ſciviſſet) facile abs hero, viro naturâ liberali & magnifico, laudis ac gloriæ appetente, impetraturum fuiſſe, ut græcos Codices, in ea Bibliotheca ſat magno numero extantes, convertere et latine edere licuiſſet. Utcunque iſtud ſe habeat, FUGGERUS, amiſſa prima conjuge Urſula *Harrachia* (non *Starrochia*) paulatim quærere occaſionem WOLFII dimittendi cœpit; unde etiam per biennii ſpatium minus gratiæ, ac antea, impendere ei videbatur.

Contigit illis temporibus, ut DORSCHWAMUS *), vetus familiæ *Fuggerinæ* Procurator, re familiari in *Neoſolio*, caſtello *Pannoniæ*, conſtituta *Conſtantinopolim* & *Amaſeam* urbem *Cappadociæ* usque ani-

mi

*) Huius laudes ipſe WOLFIUS cecinit *Carmine*, præfixo *Nicephori* GREGORÆ *Hiſt. Rom.* vel *Byzantinæ*.

mi cauſſa excurrens, *Zonaram* & *Choniatam* ex illis oris ſecum referret, duosque Scriptores iſtos, diuturnis Eruditorum votis expetitos, WOLFII opera convertendos publicandosque *Antonio* FUGGERO ſuaderet. Annuit FUGGERUS anno 1555. addito *Hieremia* (non *Hieronymo*) MARTIO *u*) poſt Phyſico *Auguſtano*, qui manu eleganti ac fideli hoc Opus exſcriberet: *Ludovico* CARINO apud gentem Fuggerinam (Horum pleroſque inſtituerat) apprime gratioſo, totum hoc inſtitutum plurimum promovente.

Interea per *Gereonem* SEILERUM *x*) primò obſcurius: mox per HAINZELIOS abs Scholarchis aperte actum fuit, commendante inprimis *Matthia* SCHENCKIO præceſſore WOLFII, ut *græce* is quotidie ſingulas horas doceret. Quam ſpartam *Noſter*, herilem animum â ſe alienatum eſſe, non obſcuris advertens indiciis, tandem pactô trecentorum florenorum ſtipendiô ita ſuſcepit: ut & in Schola reformanda: & docendis græcis litteris; et ornanda Reipublicæ bibliotheca operam ille ſuam in quinquennium ſponderet. Eodem ferme tempore accidiſſe credo; quod ipſus de ſe annotatum reliquit: *Ludovicus Comes Oettinganus amplis conditionibus propoſitis meam inprimis conſuetudinem atque operam expetivit; quod de fide mea & benevolentia erga patriam præclare ſentiret. Verum ego illas, obſtricta jam fide Auguſtanæ Reipublicæ, accipere non potui.*

Ad-

u) De MARTIO ſub finem *Vitæ Wolfianæ* agere, mentio hîc injecta ſuadet.

x) SEILERI laudes habes â me conſcriptas in *Alphabeto I.* huius *Bibliothecæ*, p. 171.

Addicens autem ſeſe mox memoratæ Reipublicæ, haud advertit, ut ipſe inquit, in quantum calumniarum et ærumnarum pelagus hâc viâ iret *y*). Initio quidem & auctoritas publica, & honeſtum ſtipendium, & novi inſtituti præclara ſpecies effecerunt, ut omnia plana, expedita, et publica cum laude conjuncta ſibi fingeret; poſtea ubi in *Ephorum Gymnaſii Auguſtani* inſtitutus, de eo emendando et in *Gymnaſium veluti Academicum* transmutando conſilium Magiſtratui obtuliſſet: *Rivianum* Opus *de tribus dicendi generibus* in illud introduxiſſet: alia alia ſentirent, contra dicerent, optarent, multa pati coactus eſt *Noſter z*). Circa illud tempus in ferinas thermas ſeceſſit, quieſcendi, et inſidias, quas timebat, evitandi cauſſa: ex quibus regreſſus in domum *Huldrici* FUGGERI ſe contulit communem victum offerentis: quod ipſum tamen, quia herilis œconomia haud bene diſpoſita ordinataque *a*) erat, *Noſtro* vel ad rem vel ad valetudinem

y) In tutiſſimum ſtudiorum nidum iviſſe, THUANUS *ad annum* 1580. ait; quod ex vero dictum obſervat BRUCKERUS, quia magnis litterarum patronis *Auguſta* urbs tum abundavit; ſed addit: *Noſtrum* tempore uti neſciviſſe. WOLFIUM anno 1556. 1. Sept. docendi in Schola *Annæa* initium feciſſe, tradit CRUSIUS *Annal. Suev. Dod. III. p.* 697.

z) Fuſe hæc enarrat CROPHIUS *l. c.* & BRUCKERUS *l. c. p.* 373. 375. 376. addens: hinc originem habuiſſe magnum contemptum *Gymnaſii Auguſtani Annæi*, quem prodidit WOLFIUS; cum tamen ante eum BETULEIUS, poſt eum HOESCHELIUS, *Noſtri* diſcipulus, cuius ipſius *Vitam* in *Alphabeto VI.* præſentis *Bibliothecæ* per multa folia deſcripſi, iſtud Athenæum magna nominis celebritate, & abſque indignatione illuſtrarint.

a) Conſule, ſi vis, GASSARI *Annal. Augſpurg. ad annum* 1560.

dinem parum profuit. Manſit autem apud *Huldricum*, usque in annum 1562. quô domum ſibi propriam conduxit, ita tamen, ut cibi capiendi ergo per cauponas uno anno oberrârit: ſequente vero parvam œconomiam ſibi inſtituit, cui propter complures expenſas ſtipendium haud ſuffeciſſet, niſi ſubſidia aliunde acceſſiſſent, præmia ſcilicet eruditorum Operum, quibus Rempublicam litteratam locupletavit — Sed, unde digreſſus ſum, revertor.

Fluxerat quadriennium, ab anno nimirum 1556. in annum 1660. ex quo *Noſter* Scholæ *Annææ* præeſſe cœperat. Hinc, cùm ingratum ei accideret, horologio ſervire, intra una concludi mænia, doçere in eo Gymnaſio, quod nomini ſuo non claritatem afferre, ſed caliginem offundere credebat: patere odii atque invidiæ telis, ſciſcitandos Scholarchas duxit, an operâ ſuâ uti porro cogitarent. Iis vero reſponſum dare tardantibus, per *Havenreuterum Argentorati* conditionem extraordinariam impetravit: quam tamen, quod trihorium ante, quam *Havenreuteri* epiſtola advenit, *Chriſtophoro* PEUTINGERO Duûmviro b) operam ſcholaſticam (hortante *Henrico* fratre & ad *Noſtrum* in hæc verba ſcribente: *Quod ad conditionem attinet, ſummopere te oro, ne Auguſtanis renuncies; meliorem in Germania nullam invenies. Fidem tuam ad* 8. *annos audacter adſtringe*) de novo adjecta ea conditione, ut etiam valetudinario ſemiſſis annui ſtipendii numeraretur, ſpopondiſſet, accipere haud potuit, id quod WOLFIUM poſtea ægre habuit: uti etiam quod nec *Regiomontem* in *Poruſſia*, nec ad *Ottonem Henricum* Palatinum Electo-

b) De *Chriſtophoro* PEUTINGERO vide *Vitam* CONRADI *Peutingeri ICti.* â me anno 1783. editam, *p.* 29.

lectorem *c*): nec *Bernam* in *Helvetia* vocatus iverit. Quæ vocationes omnes etſi WOLFIO utilitatis, utpote nullum exitum ſortitæ, nihil attulerint; tamen, quantâ doctrinæ famâ ille claruerit, apertiſſimè commonſtrant.

Juvat horum ſeriem ex ipſomet WOLFIO audire, in *Dedicatione* ad *Iſocraten* græco-latinum, *fol*, 1570. ſcribente: *Cum poſt Xyſti* Betuleii *Viri doctiſſimi .. morbum incurabilem* Annæa *ſchola ... labi in deterius ... videretur: D. D Scholarchæ ſuperiores, Chriſtophorus* Peutingerus *Duumvir, Joannes Jacobus* Fuggerus, *Chriſtophorus Chriſtophori F.* Relingerus *et Matthæus* Welſerus *de illa fulcienda, cogitatione diligenti ſuſcepta, meam operam, ad* Græcas Latinas*que litteras docendas, et* vitia ſcholæ *tum animadvertenda, tum pro virili corrigenda* (A. 1556.) *liberali ſtipendio et ſplendido* (*quantum nulli humaniorum literarum Profeſſori, per totam hanc* Sueviam, *decerni ſolet*) *conduxerunt. In quo ego munere qua ſedulitate .. verſatus ſim* (*ſi alii ignorant*) *Deus inſpector animorum novit: et mihi ampliſſimum theatrum eſt conſcientia. Quibus autem non modo calumniis, ſed contumeliis etiam et injuriis ... quibus moleſtiis per annos amplius decem ... conflictatus fuerim: id ego tanta cum doloris acerbitate recordor, ut ... Magnum quoddam malum judicabam, quæ ego optimo ſtudio, nec imprudenti conſilio, de ſententia et auctoritate principum huius civitatis Virorum, conſtituiſſem: ea à plerisque in deteriorem partem rapi, omnique carere ſucceſſu. ..* Hem! *inquiebam*, itáne totam ætatem tuam ... in optimis quibusque et Græcis et Latinis... Scriptori-

c) Obtulit Princeps iſte *Noſtro* 300. thaleros, una cum victu aulico: uti teſtatur BRUCKERUS *l. c.*

toribus te conſumpſiſſe: ut tibi perpetuo inter pueros balbutiendum ſit, nec ſperetur ulla ſupra prima Grammaticæ elementa progreſſio? O male locatam operam!.. ô te et operis et præmiis operarum infelicem! *Præmia enim non tam pecunia metior, quam frequentia.. et eruditione auditorum, et eorum, quibus inſervio, approbatione... Sic affecto et hæſitante me, cum* quinquennii (*tot enim annos fidem meam Reipublicæ aſtrinxeram*) *exitus appropinquaret: à meque, ut et à cæteris magiſtris* (A. 1561.) *peteretur, ut adhuc* octo annos *ſcholæ* Annææ *præeſſem: in eam ſpem erigebar, fore, ut major deinceps rei litterariæ ratio publicè privatimque haberetur. Itaque religione quadam potius movebar, quo minus voluntati dominorum adverſarer, quam quod honeſti receptus deeſſent* (*Nam et illuſtriſs.Dux Poruſſiæ* Albertus.. Regiomonti: *et ampliſſimi*, Argentinenſium *ac* Bernatium, *Senatus honeſtas mihi et liberales conditiones: alter in urbe ſua*: Lauſannæ *alter: proponebant*) *eòque magis, quòd fato quodam in hac urbe me retineri augurabar. Nec enim tot dies me hic commoraturum*, Lutetiâ *rediens, putaram, quot annos in ea jam exegeram.... Sed quid facerem? Fidem dederam: manere quocunque eventu neceſſe erat. Cæterum cum D. D. Scholarchæ* Argentinenſes .. *anno abhinc quarto* (A. 1566.) *præclaram tum Scholam ſuam, nunc Academiam ... nonnihil labefactam, inſtaurare cupientes, D. Laurentio* Tuppio, *Pomerano*, I. C. *veteri amico meo, id negotii dediſſent, ut doctos viros undecunque accerſeret: isque.. ſtatim ea de re per litteras mecum egiſſet; occaſionem mihi oblatam et levandæ ſumptu ſupervacaneo Reipublicæ, et rationibus meis conſulendi arbitrabar: eòque magis,*

quod

quod aſſiduæ fratris Henrici, Phyſici *Norimbergenſis* (jam aliter ſentientis) *literæ eòdem me impellebant. Neque enim fore putabamus, ut non cupidiſſime dimitterer... Itaque re cum D. J. Bap.* Hainzelio... *communicata animadverti, eum animo (quàm antehac unquam) commotiore et adverſùs me, et D.* Laurentium *ſtomachari: mihi, qui moroſius (quam par eſſet) de noſtris laboribus judicarem: illi, qui alienos miniſtros interceptum iret. Ac quid is de me in Senatu egerit; equidem neſcio: illud tantum poſt aliquot dies reſpondit, neque me gravem aut inutilem eſſe miniſtrum Reipublicæ: quæ* Wolfium *æque, atque* Argentina, *poſſet alere; neque dimiſſum iri. Quo reſponſo plúsne doluerim, an gaviſus fuerim, haud equidem facile dixerim...*

Uno anno prius, quam hæc acciderunt, videlicet anno 1565. WOLFIUS noſter à Magiſtratu *Auguſtano*, Viris digniſſimis per ea tempora abundante, qui non ſolum litteras fovebant ſtrenue, ſed eas etiam inſigniter excolebant ipſi, proficiſci *Francofurtum* juſſus eſt *augendæ* (ut ipſemet in *Dedicatoria ſecunda ad Suidam anni* 1581. ſe exprimit) *Bibliothecæ publicæ ergò.* Quod mandatum quin pro graviſſima, ampliſſimaque eruditione ſua *Noſter* admodum præclare exſecutus ſit, nemo (puto) mecum eſt, qui dubitet.

Repudiata autem (Quid enim, poſt datam ſemel fidem, faceret aliud) conditione memorata *Argentinenſi*, manſit *Auguſtæ* WOIFIUS, creditumque ſibi munus probe adminiſtrare perrexit in annum usque 1576. quo ingraveſcens ætas et infirma, quâ toto vitæ tempore uſus fuerat, valetudo eundem impulêre, ut ſibi *Georg.* HENISCHIUM, quà diſciplinarum *mathematicarum* Profeſſorem, ad-

jungi peteret: quod et factum eſt. Ceterum quanta *Noſter* doctrinæ, & in re ſcholaſtica emendanda peritiæ laude floruerit, etiam hoc aperte commonſtrat; quod eum anno mox memorato (1576.) Senatus *Norimbergenſis*, *cuius honorificis de ſe judiciis non minus debere ſe, quam munificentiæ: ſemperque debiturum ſe*, alicubi faſſus eſt, abs Senatu patrio transmitti poſtulârit, ſcholas *Norimbergenſes* reformaturum. Sed Magiſtratus *Auguſtanus*, teſte *Paulo à* STETTEN in *Hiſtoria* vernacula *Auguſtana T. I. p.* 616. *d*) reſcribendum ſibi duxit: Rempublicam WOLFII operâ carere non poſſe.

At, eheu! brevi poſt tempore, ſolô nimirum quadriennió exactô, eadem carere WOLFIO plane debuit. Namque ille, lithiaſi intolerabili conflictatus, quòd ars medica in eo malo tollendo jam nihil amplius proficeret, ad extrema redactus, vitam hanc mortalem anno 1580. explevit; cum *viginti trium* annorum ſpatio bonas litteras & docuiſſet, & ſcribendo inſigniter propagâſſet.

Tumulo conditus, *Hainzeliæ* gentis pietate, honorificentiſſimum *Epitaphium* pro meritis accepit, quod etiam apud PRASCHIUM *e*) legere eſt, ſequens:

Nobi-

d) Sic quidem *Paulus a* STETTEN docet; ſed BRUCKERUS *l. c.* rectiſſime obſervavit: Alta ſpiraſſe *Noſtrum* inter magnam timiditatem congenitam, & hinc munus academicum anhelâſſe, neque tamen â Senatu *Norimbergenſi* in Gymnaſio *Altdorfino* oblatum acceptaſſe; ſed ei Magiſtratui *Thomam* FREIGIUM commendâſſe. Scilicet Senatus *Auguſtanus Noſtrum* haud dimittendum exiſtimavit. Confer, quæ inferius moneo in *Catal. Opp. Noſtri, No. XVIII.*

e) In *Epitaph. Auguſt. T. I. p.* 146.

Nobilitati. Litteratæ. S
Hieronymo. Wolſio. Oetingenſi
Ex. Pincernarum. Schweinsbaindenſ
Qui
In. Primis. Auctorib. Cæſariens. Coenobii
Numerantur
Legitima. Stirpe. Oriundo
In. Quo. Et. Fratre. Henrico. Norimberg. Archiatro
Illa. Ipſa. Extincta. Eſt
Socrati. Suevico. Græce. Latineq. Doctiſſimo
Chriſtianæ. Philoſoph. Et. Eloquentiæ. Principi
Viro. Ad. Scribendum. Dicendum. Docendum. Nato
Antiquæ. Virtutis. Et. Fidei. Germanicæ. Exemplari
Præceptori. Optimo. Et. Amico. Maximo
Sex. Hainzelii. Fratres. Germani. Jo. Baptiſtæ. FF
Publice. Debitum. Privata. Pietate. M. PP
Obiit. An. C. N. M. D. XXC. Poſtrid. Non. Oct.
H. I. P. M.
Vixit. Cælebs. Ann. LXIV. D. LV. H. XIX.
Annæo. Gymn. Et. Bibl. Præfuit. Ann. XXIII
Multiplicium. Divini. Ingenii. Monumentor
Europam. Atque. Aſiam. Hæredes. Reliquit

ΤΟΙΣ. ΠΑΙΣΙΝ. ΕΙΠΕ. ΧΡΗΣΙΜΑ
ΜΕΓΑΛΗ. ΧΑΡΙΣ. ΑΥΤΩΙ

Mortuo *Carmen funebre* ſive *Elegiam* (ut vocat) 4. pagellarum ſcripſit *M. Joannes* MATTSPERGERUS *Auguſtanus*, ediditque *Auguſtæ*, imprimente *Michaele Mangero*, in 4to. Pro Concione laudavit *Georg.* MYLIUS, uti teſtatur *G. A.* MICHEL in *Beyträgen zur Oettingiſchen Geſchichte*, *T. III. p.* 77.

Reſtant nonnulla, de *Noſtro* quæ addam. Anno 1566. elocatio neptis *Urſulæ Strauſiæ*, quæ Joanni *Schenckio*, Matthiæ (non Matthæi) SCHEN-

CXII *f*) Auguſtanæ Scholæ *Annææ Primarii*, filio nupſerat: & cui in dotem *Noſter* ſuæ pecuniæ quadrantem aſſignaverat, rem eius familiarem imminuit, effecitque, ut expenſæ redditus ſuperarent. Quin ipſi *Noſtro*, jam ſexageſimum ætatis annum agenti formoſæ et dotatæ puellæ conjugium oblatum fuiſſe lego: quod tamen ex judicio *Carini*, qui vitam ei breviorem fore monuerat, aſpernatus eſt. Sed ad rem *Noſtri* familiarem redeo. Potuiſſet quidem WOLFIUS, ſi ad rem attentior fuiſſet, nec in Bibliothecam, quâ tamen frui per officii, quod adminiſtrabat, occupationes eidem haud licuit: et quam anno 1578. binis plauſtris *Lavingano* Gymnaſio invectam fuiſſe ſcribit, ultra mille florenos inſumſiſſet, reculas ſuas pauliſper augere. Verum homo ἄγαμον καὶ ἄτεκνον, qui præcipuam felicitatis partem hanc eſſe putârat, *nec nubere nec gignere*; in libris ſuis ſin minus utendis, diſponendis tamen ex materiarum ordine, curandisque tempus fallebat: & jam feſſus ſenex faſſus eſt, ſe ab antiquorum Scriptorum coemptione, ſi modo venales reperire eſſet, nondum ceſſaturum fore.

Hæc in vita evenere WOLFIO, cuius indolem, verámque animi faciem hanc, Lector! habeto. Fuit is natura timidior; tamen alta ſpirans; modeſtus; querulus; variis in omni verè vita jactatus caſibus; Muſis datus, ereptus, redditus; alia volens modò, modò volita nolens ultro; fatorum incuſator jugis, ſeu μεμψίμοιρος; data ſorte non contentus, meliore dignum ſe judicans uſque; attamen

f) Etiam de hoc aſſuere aliqua *Vitæ* WOLFII placet.

men Vir multo doctiſſimus, græcæ præſertim litteraturæ inextinguibile Sydus *).

Eſſent Doctorum de *Noſtro* judicia quamplurima, quæ hôc locô interponam: niſi iſtud in Viro tanti nominis, ac WOLFIUS fuit, ſuperfluum judicarem. Juvabit tamen encomiaſtas *Noſtri* ſaltem nominibus ſuis vocare. Sunt illi BOISSARDUS *g*): THUANUS: QUENSTEDIUS *h*): HUETIUS *i*): CRUSIUS *k*): GASSENDUS *l*): ADAMUS *m*): WENDLERUS aut melius NADLERUS *n*): BAILLETUS *o*): *J. H.* SCHELHORNIUS *ſenior p*): *H. A.* MERTENSIUS *q*): *Nicol.* REUSNERUS *r*).

At *Maximilianum II.* præterire non debeo, qui publico teſtimonio honorare *Noſtrum*, profiterique non eſt dedignatus: *Nos ſane, ùt omnibus Viris eruditis, qui ingenii ſui induſtriâ bonarum littera-*

*) Plura, ad *Noſtri* indolem ſpectantia, habes in CROPHIO, *l. c. p.* 158.

g) In *Iconologia*.

h) In Libro *de Viris illuſtribus*.

i) In Libro *de claris Interpretibus*.

k) In *Annal. Suev. Dod. II. p.* 571. & *Dod. III. p.* 773.

l) In *Vita Tychonis*.

m) In *Vitis Philoſoph. German.*

n) In *Diſſert. I. de Merit. Reipubl. Auguſt. in litteras. p.* 45.

o) In Libro: *Iugemens des Savans. T. II. P. III. p.* 375. ubi affirmat: *Noſtrum eſſe unum ex ſummis & laborioſiſſimis Interpretibus, quos eo ſæculo Germania habuit.* Nota, Lector! ea, quæ in *eodem Libro, T. II. P. II. p.* 85. dicuntur, haud ad *Noſtrum* ſpectare, quem BAILLETUS ibi cum *Joanne Wolfio* turpiter miſcuit: quod et BOECLERUS in *Bibliograph. crit.* & GUNDLINGIUS in *Hiſtorie der Gelehrtheit, p.* 2698. male fecerunt.

p) In *Amoenitat. Hiſt. eccleſ. T. I. p.* 732. 740.

q) In *Diatribe II. de Cimeliis Biblioth. Auguſtan.*

r) In *Libro II. Stemmatum, p.* 299.

rum ac liberalium artium ſtudia excolere, deque Republica litteraria bene mereri cupiunt, ita Hieronymo Wolfio propter ſingularem eius doctrinam, virtutem, et egregiam græcæ ac latinæ linguæ peritiam omni favore ac gratia cæſarea propenſi ſumus s).

Quæ omnia etſi ſplendidiſſima ſint, tamen PAPADOPOLII de *Noſtro* judicium obſtat, quo minus laus eius perfecta, numerisque abſoluta omnibus exeat. Is inquit: *Ex translationibus magni habendum non eſſe* (Wolfium) *conſtat linguæ noſtræ peritis. Quare merito ſæpe vapulat ab* ALLATIO: *nosque in iis, quæ ſcripſimus, non raro aberaſſe eum à ſententia Græcorum, quos latine reddidit, demonſtravimus.* Sed nunquid, *quandoque bonus dormitat Homerus?*

Audivimus, quid alii de WOLFIO judicarint. Audiamus, quid WOLFIUS de ſe ſenſerit ipſe; dum ait: *Non ſcribendi cacoethes me tenuit unquam. Scriptor factus ſum per calamitatem: Scriptor manſi hactenus fatuo quodam meo atque infelici fato.* Et alibi quam modeſtiſſime monet: *ſe eos, qui de ipſo olim ſcripturi ſint, rogare, ut meminerint, ſe fuiſſe hominem* (*et ſe non eſſe Deos*) *naturæque fortaſſis non peſſimæ, at fæcundo agro culturam et tempeſtates commodas defuiſſe.*

Facile ex iis, quæ hactenus narravi, Lector benevolus de eruditionis, quæ WOLFIO adfuit, tum magnitudine, tum varietate, aptam faciet conjecturam, ſtatuétque: eundem *græci ac latini ſermonis* cognitione quamplurimis antecelluiſſe; cum dubium ſit, ultrâ linguâ major fuerit, & in utraque, tum proſa tum ligata oratione, expe-

ditiſſi-

s) V. *Privilegium caſareum*, præfixum *Demoſtheni* anni 1572.

ditiſſime ſcripſerit: eundem *Philoſophiæ*, *Philologiæ*, omniumque fere ſcientiarum præceptis egregiè imbutum fuiſſe: denique & *Aſtrologiam* calluiſſe quam optime; cuius cùm eam etiam partem, quæ *divinatoria* dicitur, haud dubie ſecutus *Melanchtonem*, & *Leovitium*, Doctorum judicio in hoc ipſo ſtudio excedentem ac nimium, æmulatus tanti fecerit, ut ex horoscopo, thematisque genethliaci figura totam vitæ ſuæ ſcenam inſtruxerit, Eruditorum poſterioris ætatiscenſurameffugere haud potuit,hanc ἀστρολογομανίαν in eo reprehendentium: quin tamen docte ipſum & ex artis præceptis iſtud argumentum tractâſſe, inficiari quiverint: Adde *Noſtrum* Aſtrologiæ *uſum* probaſſe, *abuſum* improbaſſe; uti apertis verbis ipſe inferius in *Catalogo Opp. No. IV*. monet: quod tamen vix *t*) ſervaſſe videtur.

Poſtquam ea expoſui, quæ ad Vitam, Indolem, Doctrinam *Noſtri* pertinent, jam ea, quæ ad Scripta eiusdem ſpectant, accurate proponere pergo. Sunt autem illa:

I. ISOCRATES. Hic â *Noſtro* ſexies editus fuit *Latinè* prima vice anno 1548. *Baſileæ* prodiit, quam editionem plures *latinæ* ſubſecutæ ſunt. *Græce* et *Latine* prima vice *Baſileæ* in *folio* exiit anno 1570. quam editionem iterum plures *græco-latinæ* exceperunt. Hoc præmonuiſſe ſatis eſto; cum editio-

t) V. BRUCKERI *Miſcell. p.* 357. & SCHELHORNIUM *Amoenit. Hiſtor. eccleſ. T. II. p.* 612. ubi lepidum quid de *Noſtro* ex *Jo.* PRÆTORIO narrat. Cui narrationi ſi fidem habemus, WOLFIUM plane non ſolùm plus juſtô tribuiſſe Aſtrologicis vaticinationibus, ſed vix non in iis, magnô ſuô damnô, inſaniviſſe, concludere debemus. Hinc non immerito optavit *Henricus* frater: *Vellem te Aſtronomiam nunquam didiciſſe; quòd tibi varios timores injicere ſolet.*

editiones ſingulas, (*latinas*, & *græco-latinas*) recenſere vix non ἀδύνατον eſſe, tum etiam parum utilitatis habere videatur. Conferri tamen hanc in rem poterunt *J. A.* FABRICII *Bibliotheca græc. L. II. p.* 810. & *Catalogus Biblioth. Bünavian.* *Phil. Jac.* CROPHIUS, qui in *Hiſtor. Gymnaſ. Annæi Auguſtæ*, vernacula *p.* 161. editiones *Iſocratis* has recenſet: *Baſileæ.* in 8o. 1548. *Lutetiæ.* 1553. *Auguſtæ.* 1566. *Baſileæ.* 1567. 1570. Liber: *Denckwürdigkeiten der Dreſdenſchen Biblioth. T. I.* Id unum hôc locô addere juvat: tanti feciſſe *Henricum* STEPHANUM, Virum cum primis ſui ſæculi doctiſſimum, laborem hunc WOLFII, ut, etſi illum haud per omnia probaverit, tamen multa ex illo in ſuam *Iſocratis* editionem anni 1593. transferre non dubitarit: et in noſtram usque ætatem tantam apud Eruditos WOLFII in Iſocraten *Annotationibus* gratiam conſtitiſſe, ut easdem ſibi aſſumendas *Guilielmus* BATTIE, et *Orationibus* nonnullis *Iſocratis*, a ſe *Cantabrigiæ.* 1729. vulgatis inſerendas duxerit: quamvis aliam Verſionem ſibi adornandam cenſuerit magis ad verbum factam; quum *Wolfiana* potius *Ciceronianam* dictionem, quam *Iſocratis* interpretationem, affectare eidem videretur. Accedit, quod *Georg. Andr.* WILL in *Nürnbergiſchen Gelehrten-Lexicon. T. IV.* anno 1758. vulgato, ſcribit: *Nuperrime in Anglia ſplendidiſſima Wolfiani* ISOCRATIS *editio adornata fuit.*

Habeo præ manibus Editionem *latinam*, anni 1566. cui præmittitur *Noſtri* Dedicatio ad *Maximilianum II.* Vide, quæ moneo infra, *No. X.* ad *Ciceronis Paradoxa.* Poſt *Dedicationem* occurrunt *Carmina* Noſtri nonnulla. Operi finem facit *Vita Iſocratis* ex *Plutarcho*, à *Noſtro* converſa.

Eſt

Eſt etiam præ manibus Editio *græco-latina* in *folio. Baſileæ.* 1570. hoc titulo: *Iſocratis Scripta, quæ quidem nunc extant, omnia græco-latina, poſtremò recognita, annotationibus novis et eruditis illuſtrata, caſtigationibusque neceſſariis expolita.* Dedicavit hanc editionem *Noſter* Patritiis & Scholarchis Matthæo *Stamlero*; Conrado Pio *Peutingero*; Jo. *Hartliebio* cognomento *Walſpornio*; Chriſtophoro *Tenno.* Unde Magiſtratus *Auguſtanus* Noſtrum *centum Joachimicis* remunerandum cenſuit, teſte *Melch.* ADAMO *l. c. p.* 142. ubi etiam inſigni elogio ob hanc Lucubrationem *Noſtrum* decorat: quod brevitatis cauſſâ omitto.

De fatis editionum tum *Iſocratis* tum *Demoſthenis* mendoſe excuſarum, deque rixis *Oporinianorum* & *Herwagianorum* vide, ſi lubet, BRUCKERUM *l. c. p.* 378. 379.

II. DEMOSTHENES. Hunc quatuor vicibus edidit *Noſter* adjutus, ut ait, maxime editione Jo. Berenardi *Feliciani*, tum etiam opera Sebaſt. *Caſtalionis.* Primam editionem dicavit Jo. Jac. FUGGERO. Præluſit *Carmine* Abrahamus *Loeſcherus. Quarta*, quæ præ manibus mihi eſt, prodiit hoc titulo: *Demoſthenis & Æſchinis Principum Græciæ Oratorum Opera, cum utriusque Auctoris Vita, & Ulpiani Commentariis novisque Scholiis, ex quarta eaque poſtrema recognitione, græcolatina. Sex Codicum impreſſorum, & inter hos Pariſienſis nuper editi: duorum Manuſcriptorum, alterius Pannonii: alterius ex Auguſtana Bibliotheca fideliſſimi collatione, à mendis repurgata, variis lectionibus adaucta, Annotationibus illuſtratá.* in *folio. Baſileæ.* 1572. Totum Opus *ſex* parvis *Voluminibus* abſolvitur. Horum priora *quatuor* utriusque Auctoris *Oratio-*

nes & *Epiſtolas* complectuntur: *quintum* Commentarios *Ulpiani*, utriusque Auctoris *Vitam* exhibet: *ſextum* habet *Gnomologiam Demoſthenicam*, WOLFII *Annotationes*, *Vincentii Obſopœi Caſtigationes*, *varias ex variis Lectiones*, *Præfationes priorum editionum Wolfianarum*, *Epiſtolas* & *Carmina varia huc attinentia*. Confer (ſi lubet) *Jo. Alb.* FABRICII *Biblioth. græc. L. II. p.* 926. 927. ubi reliquas quoque huius *Wolfiani* laboris editiones enumerat. CROPHIUS ſequentes editiones memorat: *Baſileenſem* 1549. in fol. *Venetam* 1550. in 8o. *Baſileenſem* 1554. in 12o. *Baſileenſem* in fol. 1572. de qua ſuprà ago. Confer *Catalog. Biblioth. Bünav. T. I. P. I. p.* 45. Verſionem *Wolfii*, emendatam hinc inde, eiusque Notas ſibi adoptavit *Henricus* BROOKE in editione, *Orationum Demoſthenis & Æſchinis de falſa Legatione*, *Oxonii* 1721. in 8o. maj. excuſa. Ante pauca luſtra etiam *Theoph. Chriſtoph.* HARLES *Noſtri* operâ uſus eſt, edens 1769. *Demoſthenis Orationem pro Corona. Altenburgi.* in 8o. Item *Jo. Jac.* REISKE in *Oratorum Græcorum* ... *Monumentis ingenii*, *quæ ſuperſunt*. 8o. *Lipſiæ*. 1770. & in *Apparatu critico ad Demoſthenem*. 8. *Ibidem*. 1774. Item *Jo. Sam.* SAMET, vulgans *Aeſchinis Epiſtolas. Lipſiæ.* 8. 1772.

Editionem anni 1572. dedicavit WOLFIUS Henrico *Rehlingero* & Chriſtophoro *Peutingero* Duumviris & Senatui *Auguſtano*, eorundem in ſe beneficentiam collaudans, oransque, *ut poſtremum hoc Opus ſuum*, *quod epitaphii ſibi loco eſſe velit* (*nam ſi quæ alia ſecutura ſint*, *ea nihil ad hoc eſſe videbuntur*) *benigne accipiant*... Nuncupatoriam ſequuntur *Carmina Noſtri* græca, latina, præſertim *de Auguſtanæ Bibliothecæ ædificio* 1563. abſoluto, & *in ſuam*

ipſius

ipſius Effigiem non ex artis pictoriæ, ſed ſcientiæ aſtrologicæ præceptis ſpectatam, addito *Genethliaco* ſuo.

Laudes, quas ob editum *Demoſthenem* Noſtro ADAMUS *l. c.* & MORHOFIUS in *Polyhiſtore* tribuerunt, hîc reſcribere nimis longum eſſet.

III. *Joannis* ZONARÆ *Monachi, qui olim Byzantii magnus Drungarius excubiarum ſeu Biglæ, & Protoſecretarius fuit, Compendium Hiſtoriarum, in tres Tomos diſtinctum.* in folio. *Baſileæ.* 1557.

NICETÆ *Acominati Choniatæ* ... *LXXXVI. Annorum Hiſtoria, videlicet ab anno reſtitutæ ſalutis circiter MCXVII. in quo Zonaras deſinit, usque ad annum MCCIII.* in folio. *Baſileæ.* 1557.

Utrumque Opus, primùm liberalitate *Antonii* FUGGERI græce latineque editum, & *Annotationibus* à ſe illuſtratum WOLFIUS eidem Patrono *Fuggero* dedicavit.

Ex *Nuncupatoria* ad *Zonaram* diſcimus: hunc Scriptorem editum fuiſſe à *Noſtro* ad fidem *quinque* Manuſcriptorum. *Tria* horum bibliotheca Antonii *Fuggeri*: unum bibliotheca Jo. Jac. *Fuggeri*: quintum bibliotheca *Viennenſis*, Caſparis à *Nydprug* &c. Bibliothecarii Cæſarei interventu, ſuppeditavit. Plura ſcire volens, ipſam *Nuncupatoriam*, lectu maxime dignam, conſulat; cum me longiorem eſſe, amatæ brevitatis ſtudium vetet.

Ex *Nuncupatoria* ad *Nicetam* intelligimus: hunc Auctorem à *Noſtro* duobus Codicibus cum eo, quem Antonius *Fuggerus* Conſtantinopoli ab *Alexandro Chartophylace* comparaverat, collatis editum fuiſſe.

Tam gratioſo vultu excepit hunc laborem *Noſtri* Patronus *Fuggerus*, ut pro ſingulis *Zonaræ* ac *Nicetæ* paginis vertendis ſingulos florenos nu-

merâ-

merârit; ſicque *honorarium* a WOLFIO acceptum ad 372. florenos excreverit. Cæterum hoc *Opus* Guilielmus *Xylander* carmine celebravit, quod videre eſt in *Deliciis Poetarum Germanor. T. VI. p.* 1177.

ZONARAM poſt *Noſtrum* edidit *Carolus du Freſne &c.* ita ut multas laudes *Noſtro* dicat in *Præfatione*, inſuperque hæc moneat: *Debemus illuſtribus Fuggeris, quod illorum cura & ſumptibus in publicum prodierint, Jo. Zonaræ, Georgii Cedreni* (Vide inferius in XYLANDRI *Vita*, *No. X.*) *Nicetæ Acominati*, & *Nicephori Gregoræ* (De hoc mox dicetur) *Hiſtoriæ, et quod rerum Byzantinarum hisce editionibus guſtum primi quodammodo inſpirarint litterarum ſtudioſis.* NICETAM poſt *Noſtrum* vulgavit *Carolus Annibal* FABROTI. Ambos vide in *Corpore Hiſtoriæ Byzantinæ*, Editionis tum *Venetæ* tum *Pariſinæ*. Confer, ſi lubet, HANCKIUM *de Scriptor. Byzantin.* & *J. A.* FABRICII *Biblioth. græc.* BRUCKERUM *l. c. p.* 375.

IV. *Admonitio de Aſtrologiæ Uſu.* Eſt brevis Dialogus, interlocutoribus *Aſtrologo* & *Diſcipulo*, quô *Noſter imperitioribus & uſum artis & abuſum breviter demonſtrare conatus eſt.* Habetur autem ille in *Cypriani* LEOVITII *Opere novo Ephemeridum ab anno* 1556 - 1606. *Auguſtæ.* in *folio*, 1557. excuſo, ante *Doctrinam de Judiciis Nativitatum*: ubi LEOVITIUS de hac *Admonitione* ſequentia præmonet: *Prolegomena, quibus erudite, copioſe ac eleganter reſpondetur criminatoribus huius doctrinæ, ſcripta ſunt à Viro doctiſſimo* H. Wolfio, *amico noſtro ſingulari, qui, cum plurimarum linguarum cognitione ac in omni ſtudiorum genere excellat, tum vero in mathematicis diſciplinis eò progreſſus eſt, ut*

eum

etiam in hoc genere artificem eſſe, vere confirmare auſim.

V. *Georgius* GEMISTHUS *Pletho de IV. Virtutibus cum Adolphi Occonis Verſione latina & Notis Hieronymi Wolfii.* PLATONIS *Axiochus cum Verſione & Notis Hieronymi Wolfii. Demetrii* CYDONII, *ſive Nemeſii Emeſſeni Epiſcopi de Contemptu mortis, græce et latine, Raphaele Seilero a) interprete, cum Scholiis Hieronymi Wolfii.*

Tria hæc Opuscula conjunctim edita fuerunt in 8o. *Baſileæ.* 1557. De Editionibus hanc ſubſecutis conſule *Jo. Alb.* FABRICII *Biblioth. græc. L. V. P. VI. p.* 387. Confer EHINGERI *Catal. Biblioth. Auguſt. p.* 779.

Anno 1758. *Jo. Frid.* FISCHERUS, *Lipſiæ*, *Axiochum* denuo vulgavit, *Noſtri* labores haud aſpernatus. V. *G. A.* MICHEL *Oettingiſche Biblioth, T. II. p.* 198. et alibi ſæpius: uti etiam *Eiusdem Beyträge zur Oettingiſchen Hiſtorie, Tomi III.*

a) De hoc egi in *Alphabeto I. Biblioth. Auguſt.* ubi videſis *p.* 174. 180.

VI. *Hieronymi Wolfii Annotatiunculæ in Prooemium Rivianæ Grammaticæ: & de Orthographia germanica: Scholæ Auguſtanæ ad S. Annæ Conſtitutio ac docendi diſcendique Ratio: Deliberatio de eiusdem Scholæ inſtauratione a): de expedita utriusque linguæ, vel privato ſtudio, diſcendæ Ratione: de expedita in bonis Auctoribus interpretandis Progreſſione &c. Iſocratis ad Demonicum Præcepta de Officiis.* Extant hæc partim cum *Joannis* RIVII *Inſtitutionibus grammaticis. Auguſtæ.* 1558. junctim

autem

a) Huic *Deliberationi* nomen quidem *Simonis* FABRICII, de quo in *Alphabeto II. Biblioth. Auguſt. p.* 10. egi, ſubſcriptum legitur; ſed nihil dubito, quin *Noſter* ad eam conſcribendam ſymbolam contulerit.

autem in iisdem *Inſtitutionibus* auctioribus, recuſis 1578. etſi ibi *Noſter*, non niſi *Anonymus*, audiat. Habentur etiam in Opere: *Inſtitutio litterata. T. III. Thorunii Poruſſorum.* 1586. V. EHINGER *Catal.* Bibl. *Auguſtan. p.* 748. & MORHOFII *Polyhiſt. T. I. L. II. c.* 2. §. 25.

VII. HERMETIS *de Revolutionibus Nativitatum Libri II.* ſive de Horoſcopo poſt ſingulorum annorum revolutionem conſtituendo &c. emendati, editique ab *Hieronymo Wolfio*: & ab eo inſcripti *Paulo Hainzelio Patritio Auguſtano.* PORPHYRII *Introductio in Ptolomæi Opus de Effectibus Aſtrorum.* ANONYMI (*Procli ex quorundam judicio*) *Exegeſis in Tetrabiblon Ptolomæi.*

Omnia hæc, græce et latine, edidit *Noſter*, in *folio*, *Baſileæ.* Apud Henric. *Petri* 1559. Vide *Jo. Alb.* FABRICII *Biblioth græc. L. I. p.* 60. 61. BRUCKERUS *l. c. p.* 377. monuit: ob infinitas depravationes puduiſſe *Noſtrum*, ſe horum interpretem fuiſſe.

VIII. *Nicephori* GREGORAE *Romanæ, hoc eſt: Byzantinæ Hiſtoriæ Libri XI.... græce latineque editi.* in folio. *Baſileæ* 1562. *c. figuris.* Dedicavit *Noſter* Antonio *Fuggero*, Kirchbergæ ac Weiſſenhorni Domino, qui eidem *Manuſcriptum* obtulit, laboremque ſua liberalitate promovit. Hanc *Noſtri* operam adoptavit ſibi in nova auctioreque editione *Gregoræ* Joannes BOIVIN; de quo vide *Corpus Hiſtoriæ Byzantinæ*, editionis tum *Pariſinæ* tum *Venetæ a*) Confer, ſi lubet, *J. A.* FABRICII *Bib-*

a) PLACIUS in *Theatro Anonym. No.* 1163. arguit MEURSIUM, *Monodiâ Gregoræ in Theodorum Metochytam*, à *Noſtro* verſâ, utentem in *Prolog. de eodem Theodoro*, quin WOLFII eam verſionem eſſe addat. *Gregoræ*

Biblioth. græc. L. V. P. II. p. 318. 319. & BRUCKERUM *l. c.* ex quibus diſcimus, quòd non tam præmii, quod C. duntaxat florenorum fuit, quam metu offenſi Patroni, qui in os dicebat, *eum eſſe nimis locupletatum*; cùm ſegnius inſtaret, WOLFIUS hoc Opus abſolverit: quod idem labore iſto oculorum aciem tam hebetarit, ut vendendæ Bibliothecæ ſuæ conſilium ceperit: quod WOLFIUS Opus hoc António *Fuggero* jam anno 1559. conſecrârit; ſed, quia *Noſtri* nomen in *Indicem Librorum prohibitorum* relatum fuerat, editionem usque in annum 1562. dilatam, ac primùm poſt Patroni mortem publicatam eſſe. Vidit tamen Manuſcriptum Cæſar *Ferdinandus*, & appendice *Præfationis* delectatus, diſſimulanter eum per Magiſtrum Equitum Jacoslaum *Berenſtainium* calice aureo *Joannico* elegantiſſimo donavit. Potuiſſet etiam inter Imperatoris *Secretarios Latinos* recipi; ſi ſorte ſua uti vel ſciviſſet, vel voluiſſet *Noſter*.

Notandum Lector! *Zonaram*, *Nicetam*, *Gregoram*, & *Cedrenum* (De hoc in *Xylandro* mox agam) primum *Corpus* quoddam *Hiſtoriæ Byzantinæ* confeciſſe: quæ res urbi patriæ, & Viris doctis ac Mecænatibus, quotquot in eo vulgando allaborârunt, æternæ laudi eſſe debet.

ræ addidit WOLFIUS *Chalcocondylam* non â ſe, ſed *Conrado Clauſero* verſum. Hinc corrige *Melch.* ADAMUM, contrarium aſſerentem.

IX. EPICTETI *Enchiridion*, *hoc eſt*: *Pugio*, *ſive Ars humanæ vitæ correctrix*, *unà cum* CEBETIS *Thebani Tabula . . . Græce & Latine. Quibus nunc demum acceſſerunt è græco translata* : SIMPLICII *in eundem Epictetum doctiſſima Scholia.* ARRIANI *Commentariorum de Epicteti Diſputationibus Libri IV.*

in

in 8o. *Baſileæ*. 1563. Triplicî nuncupatoriâ *Noſter* inſcripſit *Joanni Baptiſtæ* HAINZELIO Patritio, Conſuli, Patrono ſuo, *qui àb ineunte ætate â Simone Grynæo, & Philippo Melanchtone eruditus, & in ſtudiis optimarum artium ad virilem usque ætatem in Galliis atque Italia magna cum laude ſingularis humanitatis & modeſtiæ verſatus, ſacras litteras cum profanis conjunxerat.*

Laboribûs *Epicteto* abs *Hieronymo* noſtro impenſîs poſtea uſi ſunt Daniel HEINSIUS, *Lugduni Batav.* 1640. *Nicol.* BLANCARDUS. *Amſtelodami.* 1683. *Jo. Caſparus* SCHROEDERUS. *Delphis.* 1723. et alius Vir doctus, qui *Epictetum*, *Cantabrigiæ.* 1655. edidit. *Chriſtoph. Gottl.* HEYNIUS in *Epicteto* anno 1756. & 1776. vulgato. V. *Catalogum Biblioth. Bünav. T. I. P. I. p.* 103. 159. 160. Confer *J. A.* FABRICII *Biblioth. græc. L. IV. P. I. p.* 262. ubi aliæ inſuper editiones memorantur: et BRUCKERUM *l. c. p.* 378. ex quo diſces, *Iſaaco* CASAUBONO nequaquam placuiſſe hunc *Noſtri* laborem, utpote minus *Stoicæ philoſophiæ* experti. Contrà placuit SCALIGERO, uti idem BRUCKERUS monet in Libro: *Ehrentempel der deutſchen Gelehrſamkeit. p.* 62.

X. *M. T.* CICERONIS *de Officiis Libri III.* Editio I. *Baſileæ.* 1563. Editio II. *Ibidem* 1569. hoc titulo: *M. T. Ciceronis de Officiis Libri III. unà cum Hieronymi Wolfii Commentariis hac ſecunda editione & correctis & nonnihil auctis. Addita ſunt & Scholia brevia in* CATONEM, LÆLIUM, PARADOXA, & SOMNIUM SCIPIONIS. in *ſolio.* Inſcripſit *Noſter* ſuos in *Ciceronem de Officiis* Commentarios Senatui *Auguſtano*, utpote *in Schola publica Annæa dictos dictatosque*, editos autem â ſe, maxime

hor-

hortatu *Matthiæ* SCHENCKII Collegæ ſui, & diſcipulorum precibus commoto, ſubque incudem revocatos, *temerariæ & mendoſæ editionis metu, quam nonnulli minabantur potius, quam ominabantur.* Gratum & acceptum habuit Senatus litterarium hoc munus, *Noſtrum*que quinquaginta aureis donavit. Dedicationi ſubit *Epiſtola Wolfii* ad *Matth. Schenckium*, & huius *Reſponſoria* valde prolixa ad *Wolfium*, quibus amice inter ſe ludunt.

Scholia in CATONEM ſacravit *Noſter* Ludovico *Carino*, *Kiel*, Patricio *Lucernati*, addito *Carmine euchariſtico* ad eundem; Philippi *Melanchtonis Epiſtola* ad Ambroſium *Schurerum*; & *Eraſmi Carmine* de ſenectutis incommodis.

Scholia in LÆLIVM dicavit *Noſter* Jo. Ludovico *Havenreutero*, Sebaldi *Havenreuteri* Phyſici Argentinenſis, cuius & *Tubingæ* et *Argentorati* in ſe collata beneficia grata mente prædicat, filio.

Scholia in PARADOXA *Ciceronis* nuncupavit *Jo. Cratoni* à Crafftheim, Archiatro cæſareo: qui *Noſtri* amicitiam crebris & humaniſſimis litteris ſibi petiverat: *Auguſtam* deinde in comitatu *Maximiliani II.* advectus ſtudium *Noſtro* ſuum jucundiſſimis colloquiis profeſſus fuit. Suaſit tum *Crato*, ut *Noſter*, quem *Iſocraten* quartùm jam edere intellexerat, id Operis dicto SSmo. Principi dedicaret: qui etiam *Noſtrum*, monitore fideliſſimo *Cratone*, aurato calice præmiandum decrevit. Nuncupatoriam ſequitur *Cratonis* Epiſtola ad *Noſtrum*. Succedunt *Scholia*.

Scholia in SOMNIUM SCIPIONIS dedicavit *Noſter* Ach. Pirm. *Gaſſaro*, cuius uti et Gereonis *Seileri* præſenti ope atque opera gratuita tum periculoſis morbis ereptus, tum aliis beneficiis ul-

tiro affectûs fuerat. Nuncupatoriæ ſuccedit Epiſtola *Gaſſari* ad *Noſtrum*; hanc *Scholia* excipiunt.

Confer, ſi lubet, de his aliisque *Ciceronis* Scriptis à *Noſtro* editis *J. A.* FABRICII *Biblioth. latin. T. I.* Uſus quoque *Noſtri* laboribus *J. G.* GRÆVIUS in ſua ſplendida *Ciceronis* editione.

XI. SUIDAS. Editio I. *Baſileæ*, in *folio*. 1564. Editio II. *ibidem*, in *folio*. 1581. hoc titulo: *Suidæ Hiſtorica, cæteraque omnia, quæ ulla ex parte ad cognitionem rerum ſpectant. Liberalitate D. Caroli Villingeri Baronis à Schoeneberga: Operâ Hieron. Wolfii annis abhinc XVII. in latinum ſermonem converſa nunc vero & emendata et aucta. Acceſſit nunc demum Rerum et Verborum extra ordinem alphabeticum memorabilium Index (priore editione multis ſane locis depravata) propter publicam calamitatem prætermiſſus.*

De priore & hac Editione.

Peſte meam vallante domum: vaſtante Librari,
Editus hic propere eſt, nec ſine labe Liber.
Nunc poſitis novus exuviis, nitidusque juventa,
Euſebii prodit munere Epiſcopii.

Primam editionem dedicavit *Noſter* Carolo *Villingero*: in qua nuncupatoria hæc præcipue memoranda occurrunt: *Wilhelmus Xylander ... cum ei pro noſtra amicitia me hanc lucubrationem præ manibus habere ſignificaſſem, ex ſimilibus Scriptoribus, id eſt, Lexicis & Commentariis græcis à Suida prætermiſſa, ſupplenda cenſebat a), judicio eius cum meo plane congruente. Sed fuiſſet id totius triennii labor.* .. Secundam editionem Caroli filio, Jacobo

bo

a) Dum hæc ad *Wolfium* ſcripſit *Xylander*, haud dubie ad *Onomaſticon* à ſe meditatum reſpexit, de quo vide infra inter *Opera* à *Xylandro meditata*, *N.* 8.

bo *Villingero*, inſcripſit, inter alia monens: *Quod parens tuus . . . annis abhinc ſedecim cupiebat, ut Suidas græce ac latine ſimul excuderetur, nullos ſumptus recuſans (Eſt enim rara ac ſingulari quadam et erga me b) & Oporinum liberalitate uſus) id nunc præter exſpectationem meam accidit. Nam tum quidem eius optatis græcorum Codicum multitudo, quæ in Frobeniana Bibliotheca ſupererat, obſtabat. Nuper vero maxima ex parte iis diſtractis Euſebius Epiſcopius . . . pro neceſſitudine noſtra (Multum enim me eius benignitati debere me fateor; utpote qui & lucubrationes meas, poſt Oporini obitum, magnis impenſis, incerto diſtractionis eventu, calamitoſis hiſce temporibus excudere non dubitarit, laboresque meos, laborante re mea familiari, liberaliter ſit remuneratus) is igitur petiit à me, ut græcum Suidam . . . prælo ſuo adornarem: eaque re jacturam ſuam, quam tarde diſtrahendis nonnullis meis ſcriptis faceret, eo officio compenſarem. Hanc ego querimoniam hominis de me præclare meriti, magisne doleam, an mirer, haud facile dixerim. Permoleſtum enim eſt, eventum exſpectationi noſtræ non reſpondiſſe: Neque etiam quicquam minus ſum veritus, quàm, cum prima mea Scripta, minus accurata et expolita, tanto ſtudioſorum applauſu excepta fuiſſent, ut et in Italia et Gallia et in Germania ſæpius excuderentur: ne ea, quæ ſenex, aucto nonnihil judicio et doctrina, ſingulari ſtudio elaboraſſem, neglecta et contempta jacerent: præſertim cum anno* 1565. à Republica *Auguſtana* Francofurtum, augendæ Bibliothecæ publicæ ergo, ablegatus, *in Oporini taberna ne unum*

 qui-

b) Certe *ducentis florenis* ob convertendi laborem *Noſtrum* remuneratus eſt *Villingerus*.

quidem folium meorum Operum ſupereſſe vidiſſem. Quæ res non exiguum calcar mihi addidit....

De his editionibus, earumque pretio vide *Ludolphum* KUSTERUM in *Præfatione* ad *Suidam* a ſe anno 1707. *Cantabrigiæ* editum. Item *J. A.* FABRICIUM in *Biblioth. græc. L. V. P. V. p.* 635. ubi is monet: *Wolfium integri Suidæ editionem græco-latinam paulo ante mortem adornâſſe; verum Auctore mortuo typographum fidem fefelliſſe.* Item LAMBECII *Commentar. de Biblioth. Cæſar. Vindobon. T. IV. V. VII.* ubi ſphalmata earundem emendantur. Item BRUCKERUM *l. c. p.* 378.

XII. DEMOSTHENIS *recogniti, græco-latini, una cum* AESCHINE, *brevi edendi Specimen: Olynthiacæ Orationes tres & Vita Demoſthenis atque Æſchinis, cum Annotationibus.* in 8o. *Baſileæ.* 1569. Satis Titulus indicat, hoc Opuſculum à *Noſtro* præcurrere *Demoſtheni* quartùm recognito, anni 1572. juſſum fuiſſe.

XIII. *Gnomologia Demoſthenica, Æſchinea, & Ulpiana.* De hoc Opuſculo ait *l. c. p.* 379. BRUCKERUS: *Anno* 1570. WOLFIO *nundinæ vernæ attulere Gnomologiam &c.* (ùt ſupra) *obiter inter ipſos Auctores relegendos excerptam, congeſtamque potius quam digeſtam, aut judicio adhibito limatam & auditoribus ad convertendum datam.* Confer *G. A.* WILL in *Nürnbergiſchen Gelehrten-Lexicon. T. IV.* Vide ſupra, *No. II.*

XIV. *De Chriſtianæ Claſſi divinitus conceſſa Victoria contra Turcos, anno Domini MDLXXI. Nonis Octobris, Carmina quædam Hieronimi Wolfii, & M. A. Mureti Oratio.* in 4to. *Auguſtæ Vindelicorum. Philippus Ulhardus excudebat.* Dicavit *Noſter* anno 1572. *Georgio* ILSUNGO *de Tratzberg*

Equi-

Equiti aurato, aliaque adjecit *Carmina*, uti: *Ex Epilogo Byzantinæ Hiſtoriæ* Verſus. *Comiti Serino & Præſidio Sigettio. Anno* 1566. *Præſidio Julæo. In Germaniæ Stuporem. In Elegiam Solonis. Elegia Solonis ex Oratione Demoſthenis de falſa Legatione. Jambi Sophoclis de tuenda patria, ex Antigona.* Hæc *Carmina*, adjectis aliis nonnullis, recuſa habentur in *Deliciis Poetarum Germanorum. Francofurti.* 1612. in 8o. *T. VI. p.* 1120. De Carminibus *Noſtri* videndus etiam *Phil. Jac.* CROPHIUS in *Hiſtoria* vernacula *Annæani Gymnaſii, Auguſtæ. p.* 164. 165. & EHINGERI *Catalog. Biblioth. Auguſtanæ, p.* 735.

Extant præterea à *Noſtro* plurima *Carmina*, tum græca, tum latina, præfixa Libris, quos *Wolfius* edidit; quæ enumerare hôc loco, brevitatis ſtudium prohibet. Alienis etiam Operibus talia adjunxit, e. g. *Elegiam* 67. Diſtichorum, quâ Cypriani *Leovitii Ephemeridibus* 1557. *Auguſtæ* in *folio* excuſis laudes canit: *Carmen heroicum* 165. Verſuum, quod eiusdem *Leovitii Tabulæ Eclypſium. Auguſtæ.* 1566. in *folio* impreſſæ præmiſit &c. &c.

XV. ISOCRATES γνωμολογηθεις. *Iſocratis Sententiæ græco-latinæ, additis (ubi operæ pretium viſum eſt) Annotationibus. Acceſſit &* Vetus Gnomologia, *latina tantum, in eorum gratiam, qui, neglectis Græcis, brevitatem amant.* in 8o. *Baſileæ.* 1572. Dicaverunt *Noſter*, & frater eius *Henricus Wolfgango* ac *Friderico* fratribus germanis: *Wilhelmo* ac *Gotfrido* fratribus patruelibus: ceterisque *Ludovici* p. m. Comitis *Oettingani* filiis hæredibusque.

Dedicationem ſequuntur *Verſus* in Comites *Oettinganos*; tum exhibetur Inſigne gentis *Wolfianæ* vetuſtius, ac recentius: fataque familiæ longo *Carmine* canuntur.

Veteri Gnomologiæ, latinæ tantum, *breviori*, *olim collectæ*, *jam recognitæ* præit *Dedicatio* ad Chriſtophorum Fabium *Julium*, *Chriſtophori* filium, *Chriſtophori* nepotem, data Calend. Octobris, 1547. unde iſtam *Gnomologiam* vel hoc ipſo, vel ſaltem ſequenti annô primitus vulgatam conjicio. Cæterum ex *Dedicatione* diſcimus, hunc Chriſtophorum *Julium*, uti & Joachimum *Regium* diſcipulos *Noſtri* obſervantiſſimos fuiſſe. Tum ſubdit *Noſter*:

Hæc olim juvenis, puero tibi poene dicavi;
Mitto ſenex eadem, nunc repetita, viro &c.

XVI. *Catalogus Græcorum Librorum manuſcriptorum, Auguſtanæ Bibliothecæ.* in 4to. *Auguſtæ Vindelicorum.* 1575. Hunc *Noſtro* tribuunt *Jac.* BRUCKERUS *l. c.* & *Jo. Chriſtoph.* WENDLERUS, vel potius *Joann.* NADLERUS in *Diſſertat. I. de Merit. Reipubl. Auguſt. p.* 45. 46. inquiens: *Primus, qui Manuſcriptorum in Bibliotheca Auguſtana aſſervatorum notitiam orbi erudito ſuppeditare voluit, eſt Wolfius (prout id me docuit Vir harum rerum peritiſſimus) licet nomen illius non ſit expreſſum.* Conſtat is autem *octo* ſolum pagellis ſeu foliolis. Vide, quæ ad hanc rem monui in *Alphabeto VI.* meæ *Bibliothecæ Auguſtanæ*, in *Vita Dav.* HOESCHELII, *p.* 15. 16.

XVII. *Quæſtiones in Ciceronis Libros de Officiis. Baſileæ* 1579. De hoc Libro ait CRUSIUS in *Annal. Suevic. Dod. III. p.* 767. *Edidit hoc menſe* (Februario) *Wolfius Quæſtiones &c. anno ætatis ſuæ* 63. *quam annum* *ἀνδροδάμαντα* (*Virorum domitorem*)

torem) *vocari ab Aſtrologis ait, quo Ariſtoteles, Demoſthenes & Cicero deceſſerint.* Inſcripſit auditori ſuo *Chriſtophoro Peutingero a*) Narciſſi *F.* Claudii Pii *N.* Conradi *P.*

a) De hoc nonnulla monui in *Bibliothecæ* huius *Auguſtanæ Alphabeto I. p.* 132.

XVIII. *M. T.* CICERONIS *Tuſculanarum Quæſtionum Aphoriſmi, hoc eſt: Separatæ ſelectæque Sententiæ cum explicatione Hieron. Wolfii.* in 8o. Tomulus I. continet Librum I. Quæſtionum Tuſculanarum. *Baſileæ.* 1580.

M. T. CICERONIS *Tuſculanarum Quæſtionum Liber II. — V. cum explicatione Hieron. Wolfii.*

Dicavit *Noſter* Chriſtoph. Anton. *Rehlingero*, & Marco *Fuggero* Duumviris: Conſulibus: & Senatui *Auguſtano*, Idibus Martii, 1579. dicens: *Cum poſt crudelem lithiaſeos curationem non bene, ſed minus male habere cœpiſſem* (*ut & nunc quarto poſt ſectionem anno magno in periculo verſor recrudeſcentis mali*) *neque docendi munus intermiſi; et cum Muſis meis in gratiam redii; & quæ ſuperiori tempore in Schola veſtra dictaveram, collegi, emendavi, auxi, ornavi...* Monet: ſe Commentariolos hos ſuos, in decimum jam annum preſſos, eo maxime conſilio publicare, ne, ſe vel vivente, vel mortuo, cum injuria ſui nominis publicarentur; quòd celari non poſſet, quod amplius triginta exemplîs ſcriptum exſtaret. Tum addit: *Cum ſæpe alias, tum nuper ab inclyto Senatu Norimbergenſi ad regendum Altdorfenſe illuſtre Gymnaſium expetitum, retinendum cenſuiſtis...* Officiorum Ciceronis *declarationem meam, &* Demoſthenis *ultimam exornationem non modo candide laudaſtis, ſed & liberaliter remunerati eſtis.*

Ad finem *Tomuli I.* adjecit *Noſter Quæſtiones breves, ſummam Libri I. Tuſculanarum Quæſtionum complectentes*: & *Epitomen Diſputationis Demetrii Cydonii de contemnenda Morte.*

XIX. *Judicium de Poetis legendis.* Tribuit *Noſtro* TEISSIERIUS in Libro: *Eloges des Savans*; et recte quidem. Non eſt niſi Excerptum ex *Commentario* Noſtri *Tuſculanarum Quæſtionum*, ſuper *Ciceronis* verba: *Poetæ ita ſunt dulces, ut non legantur modo &c.* Vidi illud, ſeorſim excuſum, additum *Nicol.* REUSNERI *Emblematum & Stemmatum Libris*, *pag.* 337.

XX. *Tabula compendioſa de Origine, Succeſſione, Ætate, & Doctrina veterum Philoſophorum, à G.* MORELLIO *Tiliano collecta, cum Hieronymi* WOLFII *Annotationibus*, in 8o. *Baſileæ.* 1580. Accedunt *I.* HERMIÆ *Inſectatio diſſentientium inter ſe Philoſophorum*, græce & latine *a*) *cum Wolfii Annotationibus. II. Deſiderii* JACOTII *Vanderopani de Philoſophorum doctrina, ex Cicerone. III. Hieronymi* WOLFII *Progymnaſma ſcholaſticum in Ciceronis Sententias, græce latineque converſas & accurate explicatas. IV.* GREGORII *Nazianzeni Alphabetum morale græco-latinum cum eiusdem H.* WOLFII *Explicatione. V. Epiſtola Matthiæ* SCHENCKII *b*) *cum eiusdem Epitaphiis c*).

Ope-

a) Verſio latina eſt *Raphaelis* SEILERI *Auguſtani*, de quo egi pluribus in *Alphabeto I. Bibliothecæ* huius *meæ*, *p.* 174.

b) In hac *Epiſtola* SCHENCKIUS fata ſua vitæque rationem exponit. *Fragmentum* eius *Epiſtolæ* jam antea *Demoſtheni* anni 1572. præpoſuerat WOLFIUS: hîc autem integram exhibuit.

c) Iſta *Epitaphia* collegit *Lucas* GEIZKOFLERUS *Tyrolenſis*, junior, olim SCHENCKII diſcipulus, poſtea egregius Juriſconſultus.

Operi præmittitur *Nuncupatoria* ad *Joannem* SCHENCKIUM Medicinæ Doctorem, Phyſicum *Norimbergenſem*, data â *Noſtro* anno 1578. Idibus Januarii, ex qua, cùm permulta notatu digna contineat, ſequentia excerpenda duxi:

Nuper inter chartas meas, Affinis obſervande! reperi Annotationes in Tabulam Guilielmi Morellii philoſophicam *à me annis abhinc* 20. *Auditoribus meis (inter quos & te fuiſſe arbitror) dictatas. Quas cum eo tempore deſcribendas curâſſem, pater tuus Matthias* Schenckius *Collega meus .. neſcio, quô conſiliô a me petebat, eum ſibi libellum ut donarem .. Cæterum cum eum Deus* 21. *Julii, anni* 1571. *ex hac vita in beatam evocâſſet, hæredes illius meis* Adnotationibus *inſcriptum repererunt:* Me mortuo Hieron. Wolfio Affini reddantur. *Recepi, ſepoſui & commiſcui cum plurimis aliis meis nugis... Sed cum M. Joannes* Plancomarius *Affinis noſter d) & Collega meus, me illam ipſam* Tabulam *verſantem vidiſſet, egóque dixiſſem, hæreditario tibi jure illam deberi; non multo poſt is mihi ſignificavit: munuſculum id... humanitati tuæ meiquę ſtudio non fore ingratum. Relegi totum Opuſculum: & emendavi, ut potui: & propter argumenti ſimilitudinem libellum* Hermiæ (*neſcio cuius*) *eruditi certè & diſerti hominis græcolatinum adjeci cum Explicatione. Quibus à typographo ... addi velim...* Deſiderii Jacotii Scriptum è Cicerone collectum de doctrina Philoſophorum ... *Annum ago ætatis ſecundum & ſexageſimum, & quanquam Muſas parum propitias & gratas habui, quarum naturâ fui amantiſſimus,*

N 5 *nec*

d) *Plancomarii* meminit ad annum 1566. *Phil. Jac*CROPHIUS in *Hiſtoria* vernacula *Gymnaſii Annæani Auguſtæ*, *p.* 100.

nec vel puero vel adoleſcenti ſatis commoda & juſta contigit inſtitutio (Nam ab anno ætatis 15. *nunc aulicam, nunc ſcholaſticam ſervitutem ſervio, vix unius atque alterius anni libertate uſus) . . nunquam tamen a ſtudiis optimarum artium receſſi, & ſtitim legendi clariſſimos quosque, & Græcos & Latinos, in omni diſciplinarum genere Auctores nocturno tempore reſtinxi: id quod* bibliotheca *olim* mea, *nunc* Lavingani *Gymnaſii, teſtari poteſt, quam binæ quadrigæ vix ceperunt. . . . . Vixi cum celeberrimis* Theologis, Juriſconſultis, Medicis, Philoſophis, *hominibus politicis, proceribus, aulicis. . . . . . Sunt in promptu lucubrationes meæ complures, eæque eiusmodi, ut figlinam meam non ab urceolis, ſed à doliis,* Iſocrate & Demoſthene, *fuerim auſpicatus; his alia ſucceſſêre. . .* Byzantina Hiſtoria, & Suidæ Hiſtorica (*etſi mendosè admodum edita*) *quorum patroni, abſumpto patrimoniolo, peculium meum conſtituerunt:* Epictetus *item*, Commentarioli Ciceroniani, Gnomologia Iſocratica, & Demoſthenica; *ut cætera taceam. Quæ omnia ſi non ita elaborata ſunt, ut decuit, primis præſertim editionibus, ea tamen lima acceſſit poſtea, ut (niſi arrogans eſſet) dicere aliquis illud poſſet, quod Ariſtoteli tribuitur:* μωμήσεταί τις ῥᾷον, ἢ μιμήσεται. *i. e.* Facilius quis carpat, quam imitetur. *Neque enim vidi hactenus luculentiorem vel* Demoſthenis, *vel* Iſocratis, *vel* Epicteti *interpretationem. . . Sed neglectis cavillatoribus, ad inſtitutum redeo. Quia cum* Tabula philoſophica *etiam* ſcholaſticum προγύμνασμα *quoddam deprehendi* in aliquot Ciceronis ſententias, *id quoque relegere eo minus ſum gravatus. . . Adſcivit autem illud ſibi comitem* Alphabetum morale Gregorii Nanzianzeni. . . *Quæ, ſi videbitur,* Jacotio *ſubjicien-*

cienda curabis.. Libelli hi, mi Affinis! tui ſunto, qualecunque voluntatis erga te meæ pignus & monimentum; quando in fatis non fuit, (mei certè arbitrii non fuit) ut ab ampliſſimo Senatu veſtro ad Altorpianum *Gymnaſium regendum non aſpernandis conditionibus vocatus, fratris & tua conſuetudine propter locorum vicinitatem, ſæpius frui poſſem. Mitto etiam* Vitam parentis tui, *ab ipſo deſcriptam. Addidiſſem libenter* Conſtantiæ Querimoniam, *cygneam omnino Cantionem, quâ ego cum commiſeratione quadam non mediocriter ſum delectatus! — Sed & prudentiſſimi Viri cuiusdam monitu, & exemplis recentibus admonitus ſecuritati noſtræ potius, quàm defuncti gloriæ conſulendum exiſtimavi: qui quantum præſtare potuiſſet, ſi famæ, quam ſcholæ & rei familiari conſulere maluiſſet, una illa ratione ſatis demonſtravit. Cætera, te auctore, publicè legi à pietate & exiſtimatione tua non erit alienum. Unum admonendum reſtat, me &* Morellii & Chytræi Tabulam *propter turbatam ſucceſſionum ſeriem, utramque minus attentis obſcuram, & complicandi & explicandi incommoditatem, ordine deſcriptam mittere, unà adjuncta utraque, uti impreſſæ ſunt: ut vel ſeorſim excudantur, vel libellis inſerantur.... Vale. Auguſtæ Vindel. Idib. Ianuar.* 1578.

Recuſum Opus iſtud habes in *J.* GRONOVII *Theſauro græcar. Antiquitat. T. X. p.* 293. et tamen illud ignotum manſiſſe, monet *Jac.* BRUCKERUS *l. c.* provocans ad *Acta philoſoph. T. III. p.* 493.

XXI. DIONYSIUS *Halicarnaſſæus.* Edidit hunc Scriptorem anno 1586. *Fridericus* SYLBURGIUS. in *folio. Francofurti*: in cuius Editionis *Tomo ſecundo* ſe, præter aliorum doctorum Virorum, etiam

WOL-

WOLFII & *Guilielmi* XYLANDRI ope in *Notis* uſum eſſe fatetur. Et certe in his paſſim littera initialis nominis Wolfiani (*W*) occurrit. Confer *Jo. Alb.* FABRICII *Biblioth. græc. L. III. p.* 781. & EHINGERI *Catal. Bibl. Auguſt. p.* 484. *G. Andr.* WILL in *Nürnberg. Gelehrten-Lexicon. T. IV.*

XXII. De *Epiſtolis Noſtri* anecdotis vix eſt, quod afferam. Harum nonnullas in Bibliotheca *Kraftiana* exſtitiſſe, monet J. G. Schelhornius *a*). *Tres* ad *Hugonem Blotium* Delpho-Batavum, Bibliothecarium cæſareum ſervantur in Bibliotheca *Vindobonenſi*, teſte LAMBECIO *b*). *Plures*, easque amantiſſimas ad ſe, à *Noſtro* ſcriptas fuiſſe, monet *Mart.* CRUSIUS *c*). *Aliquot* Epiſtolarum *Noſtri* etiam meminit WOLFIUS alius in *Suppellectile Epiſtolari.* Debemus quoque *D. de* MURR *ſex Epiſtolas* Noſtri: unam ad Thomam *Grynæum*: reliquas ad Chriſtoph. Fabium *Julium*, quas Vir ille perdoctus adjecit Libro ſuo: *Anmerkungen über* LESSINGS *Laokoon.* Unam *Epiſtolam Noſtri* ad *Philippum Melanchtonem* anni 1543. euchariſticam de procurata conditione ſcholaſtica *Mülhuſana* exhibuit HUMMELIUS in *Epiſt. inedit. celebr. Virorum* 1777. *Altdorfii.* in 8o.

a) In *Amoenit. litter. T. III. p.* 117.
b) In *Commentar. de Biblioth. Vindobon. T. I. p* 117.
c) In *Germano-Græcia. p.* 180.

XXIII. *Cenſuræ in Achillis Pirminii* GASSERI *Annales Augſtburgenſes.* Harum ſpecimen exhibuit *Jac.* BRUCKERUS. V. Eius *Miſcellanea*, *p.* 431. item SCHELHORNII *Amoenit. litterar. T. X. p.* 10. 26.

XXIV. *Joannis* PALUDANI *Sententiæ ex Iſocrate ſelectæ* in 8o. *Baſileæ.* 1572. Tribuit *Noſtro Phil. Jac.* CROPHIUS *l. c. p.* 161.

XXV.

XXV. *Sententiæ ex M. T. Cicerone, collectore Petro* LAGNERO. Adſcribunt *Noſtro* idem CROPHIUS, & BRUCKERUS *ll. cc.* penes quos fides eſto.

XXVI. *Annotationes in aliquot Sententias ex Ciceronis Operibus collectas.* Attribuit *Noſtro* rurſus CROPHIUS *l. c. p.* 164. Sed ego præcedentibus in *Ciceronem* Scriptis commixtas eſſe deputo.

XXVII. *Annotationes in græcam Nicolai* CLENARDI *Grammaticam.* Harum mentio fit in *Demoſthenis*, quartùm à *Noſtro* recogniti, *T. VI. p.* 15. Cum reliqui Scriptores omnes de illis ſileant, neſcio, quid ego ſtatuam?

Procopium à *Noſtro* editum fuiſſe, BOEÇLERUS in *Bibliograph. critic.* monuit. TEISSIERIUS *l. c.* quædam *Philonis* & *Gregorii Nazianzeni* ab eodem vulgata eſſe, vult. Sed ambo falluntur; hæc enim omnia ad HOESCHELIUM pertinent. Edidit tamen *Noſter* NAZIANZENI *Alphabetum morale*, de quo vide ſuperius *No. XX.*

Annotationes Hieronymi noſtri *in aliquot Iſocratis Orationes*, manu *Joannis* BUSENREITERI *Auguſtani* (qui fuit WOLFII diſcipulus, poſtea Profeſſor Juris in Academia *Altdorfina*) ſcriptas, ibi aſſervari monuit *G. A.* WILL *l. c.*

Sic abſolutâ *Vitæ Meritorumque Hieronymi* WOLFII hiſtoria, promiſſi ſuperiùs dati fidem impleturus, ad dicendas *Hieremiæ* MARTII Medici, & *Matthiæ* SCHENCKII Scholæ Annæanæ *Primarii* laudes pergo.

* * * * *

Hieremias MARTIUS etſi, quæ ad vitam resque ſuas attinent, pleraque ſcriptis mandata ipſe

reli-

reliquerit *a*); tamen eius memoria obſcurior manſit, usque dum illam, novô commentariolô renovatam, *Jacobus* BRUCKERUS *b*) oblivioni, cui tradita fuiſſe videbatur, laudabili admodum conatu eripuit. Poſt hunc ego vitam *Hieremiæ* do, ipſiſſimis *Noſtri* verbis ex laudata *Dedicatoria* plerumque utens: illiusque Scripta fuſiori, ac BRUCKERUS fecit, narratione exponens.

MARTIUS, vernaculo nomine *Mertz*, patriam habuit *Auguſtam*, patrem pertenuis fortunæ, opificióque textorio ſibi ac familiæ ſuæ neceſſaria vitæ parantem *c*). Præclaris autem ingenii dotibus â natura inſtructus, in ludum litterarium *San-Annæanum* venit, ibidémque â teneris ſtatim annis prima ponens litterarum fundamenta, tantùm in politioribus diſciplinis profecit; ut eum præceptores (inter quos *Xyſtum* BETULEIUM & honoris & amoris cauſſa nominandum ſibi poſtea duxit) apprimè charum haberent: & de ſtudiis eius bene exiſtimarent, ſedulo adhortantes: ut, quemadmodum cœpiſſet, pergeret, nec ulla ratione â diſcendo abduci ſe pateretur. Hoc modo in eam ſpem venit, fore, ut, quod cupiebat maxime, demum obtineret. Etenim *tantum in ſe fuiſſe ardorem ſtudiorum: tantam naturæ vim: tantam, quam ex diſcendo capiebat, voluptatem (ut nihil quidquam magis expeteret, quam ut aliquando omne tempus in bonorum Auctorum lectione, ab omni alia cura va-*

a) Scilicet in *Nuncupatoria* ad NONUM â ſe editum anno 1568.

b) In *Miſcellaneis Hiſtor. crit. philoſ. litterar. p.* 382-391. ubi ex eâdem *Nuncupatoria* vitam *Noſtri* propoſuit.

c) Quô annô primam vitalem auram haurire cœperit MARTIUS, incertum eſt. BRUCKERUS *l. c.* id circa annum 1540. factum eſſe, exiſtimat.

vacuus, abſumere poſſet) de ſe affirmare ipſemet non dubitavit; etſi addat: *ſibi, antequam voti huius compos fieret, multas moleſtias, multas difficultates ſuperandas fuiſſe.*

Poſtquam complures annos *Noſter* in litteris humanioribus verſatus fuerat, ſedulo in utraque lingua, *græca* & *latina*, ſeſe exercens; variæ diu cogitationes de certo vitæ ſtudiorúmque genere deligendo animum eius ſuſpenſum tenuere. An ſcilicet Theologiam, an Jurisprudentiam, an Medendi artem ſectaretur? Tandem hanc poſtremam, ad quam animi quadam inclinatione propendebat, ſibi multis nominibus amplectendam eſſe judicavit.

Itaque dum ſecum tacitus conſiderat, magni intereſſe, ut quis quamprimum optimis præceptoribus utatur: nec tamen ob rei familiaris anguſtias haberet, quo ſe aliò conferret, commode ſane cecidit, ut eo ipſo tempore *Conſtantinopoli Auguſtam* Annales *Joann. Zonaræ*, & *Nicetæ* Hiſtoria, ſumptibus Studioſorum omnium Mecœnatis *Antonii Fuggeri*, afferrentur. Hisce Auctoribus in latinum convertendis & unà græce edendis Patronus iſte *Hieronymum* WOLFIUM, de quo egi, elegerat; ſed cum is ob afflictam valetudinem ſolus Verſioni huic et Scriptioni vacare non poſſet, MARTIUM noſtrum, accedente auctoritate & conſilio *Jo. Baptiſtæ Hainzelii* laborum ſocium ſibi adjunxit, eius operâ ultra integrum annum uſus. Quod temporis ſpatium vel ob hoc minus grave *Noſtro* eſſe debuit, quod illi, eô exactô, *Antonius Fuggerus* triennales ſtudiorum ſumptus et pollicitus ſit, et liberaliſſime etiam præſtitit; tum etiam ipſe tantum utilitatis ex doctrina & dome-

ſtica conſuetudine WOLFII percepiſſet, ut ſe eius laboris nunquam pœnitere debere profeſſus ſit.

Abſolutô hôc penſô, cùm omnino apud animum ſuum conſtituiſſet Noſter *operam* Medicinæ *dare*, Ingolſtadium *primum* (*Verebatur enim, ne repentina alieni aeris ac victûs mutatio valetudini, à qua alioqui parum firmus erat, damnum aliquod afferret*) *idque juſſu & cum bona venia Mæcenatis ſe contulit: ubi per integrum annum* Laurentium GRYLLUM *d*) *artis medicæ Doctorem eximium audivit. Elapſo deinde anno, haud diutius* Ingolſtadii *ſibi manendum multis de cauſſis arbitratus ſuadente præceptore, Mæcenate annuente* Montpeſſulum (*Montpellier*) *urbem apud* Nitiobriges *non ignobilem . . abiit. Eo in loco jucundiſſime per integrum triennium* (ſecus quam aliqui, qui laudi eius clam fortaſſis invidebant, & qualemcunque famæ exorientis ſplendorem ferre haud poterant, palam apud amicos Noſtri profiteri auſi fuerant) *vixit, & præceptores ſuos ſumma fide atque obſervantia coluit.*

Erant tum temporis in illa celeberrima urbe Antonius Saporta, *a valetudine Regi Navarræ, Arabum interpres doctiſſimus: Franciſcus* Feynæus, *in Scriptis Galeni interpretandis prope ſingularis: Laurentius* Joubertus, *Vir in diſputando vehemens, in reſpondendo acutus, in medendo accuratus: Joannes* Falco: Gryphius: Schironius: *Joannes* Bocaudus: *Petrus* Guichardus: *Franciſcus* Fontanonus,

d) De GRYLLO, qui etiam ipſe *Fuggerorum* ſumptibus docta peregrinatione perfunctus, & ab iisdem Patronis *Bavariæ* Duci *Alberto* commendatus, anno 1556. in Academia *Ingolſtadiana* docere medicinam orſus eſt, ſuperius *p.* 3. 22. memini, remittens Lectorem ad *Annales* eiusdem *Academiæ*, *T. I.* Miror valde, memoratos *Annales* ne verbulo quidem MARTII memoriam agere.

nus, *Dionyſii filius, quibus tribus poſtremis præceptoribus* Noſter *uſus, et quibuscum multa de communibus ſtudiis collocutus eſt: denique et* Rondeletius, *Vir in omni medicinæ parte exercitatus, cui* Noſter, *quidquid profeciſſet, id libentiſſime acceptum ſe ferre profeſſus eſt.* Hæc præter, cum diſcendi incredibili deſiderio teneretur, ſociô *Leonardô* RAUWOLFIO *e*) vallium colliumque anguſtias perreptans, ampliorem rei herbariæ omnis cognitionem ſibi parare ſatagebat.

Inter iſta fluxerat conſtitutum tempus. Hinc Noſter, Maſſiliam *usque excurrens, comitibus* Godefrido SCHARVIO *Medico clariſſimo, quocum diu conjunctiſſime vixerat, &* Caſparo RAZENBERGIO Salfeldenſi *in herbarum cognitione et piſcium rariorum inveſtigatione admodum ſollerti: rectà deinde, revocante Patrono, & rerum ſuarum ratione ita exigente, in patriam remeavit. Eò cum ſalvus adveniſſet, Mecœnatem ſuum paucis ante menſibus naturæ debitum ſolviſſe f*) *percipiens, maximo mærore adfectus eſt. Neque enim fore exiſtimabat, ut quisquam alteriùs ſumptus fovendis ſtudiis neceſſarios ſuppeditaturus eſſet. Sed longe aliter res cecidit. Nam grates, quas patri agere jam non poterat, filiis obſequioſe rependens, ita illorum gratiam ſibi conciliavit, ut non ſolum bene de ſtudiis* Noſtri *ſentirent, ſed, quod pater pulcherrime inchoaverat, perficere ſtatuerent. Acceſſit honorifica* Jo. Bapt. HAINZELII, *erga* Noſtrum *optime affecti, commendatio: qui prius ſibi haud quieſcendum putabat, quam id, quod* No-

e) RAUWOLFIUS doctus Medicus, de quo alibi â me dicetur.

f) Antonius *Fuggerus* anno 1560. die 14. Septembr. rebus humanis valedixit.

Noſter *optabat*, *à Marco et Joanne* Fuggeris *impetrâſſet.*

Itaque Patavium *miſſus*, *ibi optimorum Medicorum* Fracanzani, Fallopii, Baſſiani Landi, Hieronymi Capivacii, Bellocati, Craſſi, *aliorumque nonnullorum lectiones per ſex integros menſes ſedulo frequentavit: cum ecce! ei ex inopinato litteræ e* Germania *afferuntur ſcriptæ à Patronis*, *quibus ſignificabant:* „ *quantum fieri poſſet*, *citiſſime com-* „ *poſitis rebus ſuis* Florentiam, *principem* Hetruriæ „ *urbem*, *pergeret* Noſter.“ *Impetraverant ſcilicet a* Coſmo *illuſtriſſimo Duce*, *ut in Noſocomio*, *quod is ampliſſimum et toto terrarum orbe celebratiſſimum ſuſtentabat*, *medicam artem exercere* Noſtro *per unius anni ſpatium liceret.* Is quantum in eo loco profecerit, cum tot varii morbi tractandi: tot hominum temperamenta exploranda: tot difficultates in maxima ægrorum copia ſuperandæ fuerint; quis tam demens eſt, qui non intelligat? *Certe ipſe de ſe proteſtatus eſt*: ſe tum primum, quos in ſtudiis progreſſus fecerit, re ipſa cognoviſſe, didiciſſeque, quantum inter agere et contemplari interſit: denique plus ſe exiguo illo temporis ſpatio (biennium enim integrum non complevit) in medica arte promoviſſe,. quam ſi alibi complures annos commoratus eſſet. *Præterea Medicorum eius metropolis*, *præcipue vero Franciſci* Montevarchii, *Franciſci* Gambarelli, *Baccii* Baldini, Honorii Imolenſis, *omnia ſumma humanitatis et benevolentiæ officia in* Noſtrum *conferentium*, *conſuetudo ac familiaritas ei non fructuoſa duntaxat*, *ſed jucunda quoque fuit.*

Hi Viri cum aliquando in ſermone injeciſſent: mirari ſe, quod Romam, celeberrimum Italiæ totius

tius theatrum, non peteret Noſter, *is maxima videndæ Urbis cupiditate incendi ſe ſenſit. Itaque omnem lapidem movit, ut in hac quoque parte mos ſibi gereretur: tantumque abfuit, ut Patroni ſe difficiles præbuerint, ut etiam conſilium* Noſtri, *propoſitumque approbandum duxerint.* Romam *delatus Hieremias noſter, inter Medicos, arctiſſima neceſſitudine ſibi devinctos tenuit Andream* Albium, *Hippolytum* Salvianum, *Alexandrum* Petronium, *Bartholomæum* Euſtachium, *Achillem* Statium (*Heus! quos Viros?*) *e quorum familiaritate & fructum & voluptatem maximam cepit.*

Poſtremò cum peregrinationibus finem facere (ne Patronorum liberalitate abuti velle videretur, et quod ad eas magnos ſumptus robuſtamque valetudinem requiri videret) ſecum decreviſſet, in patriam velis remisque tetendit, in eamque, licet ſæviſſimam per iter maritimum procellam paſſus, Dei benignitate ſalvus pervenit.

Patriis laribus redditus id unum ſibi agendum eſt arbitratus, ut Mecœnatibus ſe ſuaque omnia offerret. Verum cum illi Noſtri *operâ ſe pro tempore haud indigere reſpondiſſent, denuo* Jo. Bapt. Hainzelium *accedens conſilia, quid ſibi agendum eſſet, cum eo communicavit. Ille vacare conditionem arti, quam* Noſter *profitebatur, accommodam videns in patria, poſt exquiſitam Mecœnatum, cui omnia* Noſter *debebat, voluntatem atque conſenſum, intercedente graviſſimorum Virorum, præcipue* Achill. Pirm. GASSARI, *patrocinio perfecit, ut* Hieremias *noſodochio, lue Gallica laborantibus alendis et ſanandis deſtinato, præficeretur, pacto CXX. florenorum honorario.*

Eo munere auctus *Noſter*, anno 1565. ad diem 15. Januarii g) Sabinâ (non Sibyllâ) *Gundelfingeria*

riâ uxore adſcita, in primariarum aliquot *Auguſtanarum* familiarum affinitatem venit. *Orangiæ* ſummis in Facultate medica honoribus decoratum fuiſſe *Noſtrum*, *Protocollum* monet *Collegii medici Auguſtani;* ipſe vero ſiluit. In Noſodochio *Florentino quantam curandis ægris diligentiam adhibuerit*, *quam nemini petenti opem ſuam denegarit*, *quam nervos omnes*, *ne morbus traheretur*, *intenderit*, ipſe de ſe teſtatum reliquit, provocans ad litteras teſtimoniales, quibus, *Florentia* diſcedens, abs noſocomii Præfecto ornatus fuit. Inter *Auguſtanos* vero annumeratus Medicos, Patres patriæ ſibi faventiſſimos, Collegas amiciſſimos ſenſit. Praxi deinde medica indies felicior & celebrior, bonorum omnium approbationem ac benevolentiam commeritus eſt. Sic vitæ ſtadium honeſtiſſime decurrit usque in annum 1585. quô ex epilepſia diem ſupremum clauſit, præmaturo fato orbi ereptus.

Linguarum *quinque* peritiam in *Noſtro* prædicavit *Hieronymus* WOLFIUS h) *germanicæ* videlicet, *latinæ*, *græcæ*, *gallicæ*, *italicæ*: CRUSIUS *i*) â *ſex* linguarum cognitione commendavit *Noſtrum*, addens: ſe, linguæ *hiſpanæ* ſtudentem, anno 1583. abs *Hieremia* dono accepiſſe *los quatro libros del Corteſano compoſtos en Italiano por el Conde Baltaſar Caſtellon &c.* unde haud temere conjicio, MARTIUM etiam *hiſpanæ* linguæ ſcientiam habuiſſe. Latinè autem ſcripſit terſiſſimè: id quod hæc narratio omnis, & WELSCHIUS cuius auctoritate ſæpius inferius utar, manifeſte docet, dum de *Epi-ſtola*

g) CRUSIUS in *Annalib. Svevic. Dod. III. p.* 725. & SCHELLENBERGER *Hochzeit-Regiſter* ad hunc annum; unde corrigi BRUCKERUS *l. c. p.* 388. debet.

h) In *Carmine* prævio ad *Nonum* â *Noſtro* editum.

i) *Locô* mox *citatô*,

ſtola Noſtri nuncupatoria ad *Nonum* ait: *eam eruditam eſſe, nec talem, qualem hodie torquendis auribus auſoniis nonnulli conſcribillant.* A multiplici vero peregrinorum idiomatum cognitione apprime inſtructus, haud ſatis habuit ægrorum ſanitati reſtituendæ curam impendiſſe; ſed doctiſſimis etiam laboribus artis iatricæ limites extendere, et Medicorum celeberrimorum, *græcorum, italorum, gallorum*, Opera latinis germanicisque Verſionibus vulgatoria reddere pro virili parte ſtuduit: de quibus mox dicam; poſtquam (quod minime prætereundum videtur) monuero: reliquiſſe *Noſtrum*, licet haud ſenex obierit, Bibliothecam elegantem, & optimorum librorum ſupellectile refertam, cuius *Catalogum* extare *Jo. Georg.* SCHENCKIUS & WELSCHIUS monuit, affirmans: *Noſtrum optimos quosque Medicinæ aliarumque Artium Auctores undique conquiſitos, non oſtentationi, ſed ſeverioribus ſtudiis, domi per pluteos diſpoſitos ſervaſſe, & ſe, cum viveret, peculiari typisque vulgato indice recenſitos*: item Collectionem multorum Simplicium rariorum, in itineribus, uti et dum in *Galliis*, *Italia*que fuit, collectorum; quam præſtantiſſimam fuiſſe, ex eo judicari poteſt, quod ſe eam mirifice cupere, *Jo. Conrad.* GESNERUS, amicus *Noſtri*, ſcripſerit. Sed noſtra ætate neque *Bibliothecæ*, neque *Collectionis* huius ullum ſuperat veſtigium *k*).

Jam ad texendum Operum, à *Noſtro* editorum, Catalogum progredior: quo in negotio BRUCKERO fuſiorem me eſſe, multa incitant.

I. NONI *Medici clariſſimi de omnium particularium morborum curatione Liber.* Græce et latine. in 8o. *Argentorati. Excudebat Joſias Rihelius.* 1568.

k) Conſule BRUCKERUM *l. c.*

Opus hoc, cui *Hieronymus* WOLFIUS, *Ach. Pirm.* GASSARUS, & *Jo.* ZELIUS *Troianus Francus* carminibus præluſerunt, ex Codice publicæ Bibliothecæ patriæ, hortante *Jo. Bapt. Hainzelio* ac memorato *Gaſſaro*, & primus edidit converſum à ſe MARTIUS, & Senatoribus *Auguſtanis* dedicavit, *ut eisdem tum gratam animi voluntatem declararet, tum eruditis ipſe innoteſcere poſſet.* Confer *J. A.* FABRICII *Biblioth. græc. L. VI. c. 7. §. II.* & *Tom. XII. p.* 685. item BRUCKERUM *l. c. p.* 389. ex quibus, quis NONUS iſte fuerit, diſcere licet.

II. *Jacobi* GREVINI *de Venenis Libri II. gallice ſcripti, nunc tandem in latinum ſermonem converſi.* in 4to. *Antverpiæ.* 1571. *Ex officina Chriſtophori Plantini.* Acceſſit eiusdem Auctoris *Tractatus de Antimonio*: et *Nicandri* antiquiſſimi Poetæ ac Medici *Theriaca* & *Alexipharmaca*, latine. Nuncupavit *Noſter Maximiliano II.* Imperatori, qui cæſareo Privilegio illud munire voluit, dicens: *magni laboris et multarum vigiliarum Opus hoc* MARTII *eſſe*: eumque in illo elaborando *præclarum ſtudium* poſuiſſe. Prodiit ſecundò *ibidem* & apud *eundem* anno 1572. cum *Epitome Veſalii*; ſi MANGETO in *Biblioth. Scriptor. medic.* fidem habemus.

III. *Gabrielis* FALLOPII *Secreta, oder heimliche Künſten erſtlich welſch an tag gegeben, und newlich in teutſche Sprach gebracht durch &c.* in 8o. *Augſpurg.* 1571.

Hauſsarzney, in welcher vil ſchöne bewerte Künſten aus geringen und bey menigklich verechtlichen Dingen ... zubereytet, begriffen, und leichtlich zu bekommen ſeynd. in 8o. *Augſpurg.* 1571. Eſt *Chriſtophori* LANDRINI *Medicina ſtercoraria*, traducta in germanicum ſermonem. Hinc errat BRUCKE-

RUS

RUS *l. c.* dicens: *Noſtrum* hanc poſteriorem opellam ê ſua penu protuliſſe; cui ipſe *Titulus* contradicit & FABRICIUS in *Hiſtorie der Gelehrtheit. T. III. p.* 553.

Utramque *Verſionem* dicavit MARTIUS *Ferdinando* Archiduci *Auſtriæ.*

IV. *Michaelis* NOSTRADAMI *zwey Bücher, darinn wahrhaftiger Bericht gegeben wird, wie man erſtlich einen ungeſtalten Leib an Weib- und Mannsperſonen außwendig zieren, ſchön und junggeſchaffen machen &c. Und wie man folgents allerley Frücht auf das künſtlichſte einmachen ſoll. &c.* in 8o. *Augſpurg.* 1572. Eſt Verſio conſecrata â *Noſtro Chriſtiernæ* ex Regibus *Daniæ &c.* ortæ, Duciſſæ *Mediolanenſi.*

V. *Nicolai de* METRI, Archiatri *Sigismundi* Archiducis *Auſtriæ.* Artzney-Buch. in 8o. *Augſpurg.* Dicavit *Melchiori* LINCKIO Patritio *Auguſtano*, amico ſuo ſingulari.

VI. *Curtii* MARINELLI *Cosmetica, ſeu de Ornatu & Regimine Mulierum*, ex italico latina facta. V. WELSCHIUM *loco* mox *citando.*

VII. *Curationes & Obſervationes medicæ centum.* Extant, cum *Georg. Hieron. Welſchii* Notis, *in Sylloge Curat. & Obſervat. medicinal.* ab eodem *Welſchio* in 4o. edita, ubi ille monet: *Quod olim inter prima artis operatricis tentamenta inſtituerat, deinceps ſedulo urgere coepit Martius, ut nempe pleraque, quæ, tam ad morborum quam medicamentorum rationem uſu probata didicerat, in Adverſaria referret: quorum una atque altera pars poſtea in manus meas venit.* Ex his (haud dubie) Adverſariis (teſte MANGETO in *Biblioth. Script. medic.*) edidit ulterius WELSCHIUS.

VIII. *Obſervationes, Conſilia, & Experimenta medica.* V. WELSCHII *Conſilior. medicinal. Centurias IV. Ulmæ.* 1676. &

IX. *Miſcellanea medica chemica.* V. WELSCHII *exotic. Curat. & Obſervat. medicinal. Chiliades II. Ulmæ.* 1676.

X. *Africi vel Afri Clementis Patavini de Agricultura Libri VII.* in Germanicum converſi a *Noſtro* in 8o. *Strasburg.* 1580. Ita docet WELSCHIUS in *Sylloge Curat. & Obſerv. medic.* ante MARTII noſtri *Centuriam Curationum, p.* 3. *Mart.* LIPENIUS in *Biblioth. philoſ. p.* 24. 25. & JOECHERN in *Gelehrten-Lexicon.* Mihi Opus videre haud contigit. De ipſo autem Auctore raræ aut omnino nullæ notitiæ extant.

Hæc de MARTIO — De SCHENCKIO verò, quæ ſequuntur.

* * *
* *

Quod *Jeremias* MARTIUS fecit (uti paulo ante monere me memini) idem & SCHENCKIUS fecit, fata ſua pleraque deſcribens in *Epiſtola* ad *Hieronymum* WOLFIUM, de qua mentionem feci ſupra inter huius *Opp. No. XX.* Itaque *Matthias* SCHENCKIUS *Conſtantiæ*, urbe tum *imperiali*, ad lacum *Bodamicum* ſita, anno 1517. in hanc lucem editus fuit, parentibus honeſtis quidem, ſed non ſatis opulentis. *Unde neceſſe ei fuit, alieno arbitratu ſtudia ſua jam inde prope à pueritia inſtituere: nec ei licuit, quantum fortaſſis libuit, laboris temporisque Humanitatis ſtudiis tribuere. Etenim abs patronis ad diſcendas ſacras litteras deſtinatus* Argentinam *primum, deinde* Marpurgum, *poſtremo* Wittebergam *miſſus eſt; operam Theologis, qui ibi* tum

tum docebant, ut daret: quos audiens cum tantum profeciſſet, ut jam ad docendum alios aptus eſſe videretur, Iſnam Algoviæ *oppidum ire a Mecœnatibus juſſus eſt: tum ut litteras hebraicas (linguam intelligendis ſcriptis ſacris inprimis neceſſariam, et cuius jam pridem, haud dubie ſub* Wolfg. Fabric. Capitone, *ea fundamenta jecerat, ut* Wittebergæ *illam docere œquales ſuos, et in his* Nicolaum GALLUM *l*) *anno* 1570. *Ratisbonœ ſupremis fatis defunctum, non dubitarit*) *à* Paulo FAGIO *m*) *ſtudioſius addiſceret, tum etiam ad conciones aliquando habendas adhiberetur. Eo conſilio dum* Iſnæ *commoratur Noſter, afferuntur ei* Conſtantiâ *litterœ nunciantes*: „ *afflictiſſimum ibi eſſe Scholœ ſtatum: eum, cuius opera aliquamdiu proceres ad illam regendam uſi eſſent egregia ac fideli, diſceſſiſſe: ſucceſſorem autem officium ſuum haud facere: daret itaque operam, ſi patriam, ſi cives cordi haberet, cito ut advolet: in ipſo maximè ſpem Scholœ reſtituendœ poſitam eſſe; utpote qui* Joanne STURMIO *prœceptore* (*Accerſitus is* Argentinam *fuerat, cum biennium jam et amplius* Noſter *ibi fuiſſet n*), *ut tum* Matthiæ *noſtro tum ceterarum civitatum alumnis, Rhetoricœ artis inexpertis, atque ob id in Theologia non ſatis magnos progreſſus facientibus, eloquentiœ prœcepta traderet*) „ *uſus, aperiendi ludi & litteras certa ratione docendi artificium teneret.*“

l) De huius Vita & Scriptis videri poterit. *Melch.* ADAMUS in *Vit. Theolog. p.* 156. PANTALEO *in Proſopographia, &c.*

m) De *Paulo* FAGIO conſule eundem *Adamum l. c. p.* 99. *Jac.* BRUCKERUM in *Ehrentempel.*

n) Venit itaque *Noſter Argentinam* anno circiter 1535. nam STURMIUS eò appulit anno 1537.

Hâc nuntio etſi e medio ſacrorum ſtudiorum curſu avocaretur, tamen videns ſe revocari ab iis, quibus denegare quidquam honeſte non poſſet: tum aliis gravibus cauſſis motus vocanti Magiſtratui nec invite, nec infeliciter paruit o). *Ita enim adventu* Noſtri *recreata eſt Schola illa, ut nec Proceres tradidiſſe eam* Matthiæ: *nec* Matthiam, *accepiſſe delatam, unquam poenituerit...*

Hæc ratio ac fortuna *Noſtri* fuit, quoad belli *Smalcaldici* tempore, relicta â ſociis, ſuarum rerum ſatagentibus, a Cæſareanis vero expugnata urbs *Conſtantia* in fidem *Auſtriacæ* domûs ſeſe dedidit. Tunc diſſipatis diſcipulis, & mutata cum Reipublicæ forma Religione, ab adminiſtratione Scholæ non tam amotus, quam cedens ultro, multa tulit incommoda...

Accidit autem non multo poſt, ut ex diſcipulis unus, Georgius â Schwarzach, Noſtro *hortante* Tubingam *ſeſe ſtudiorum cauſſâ conferret, eumque* Noſter *parentum rogatu* Joanni Benigno, Rhetoricam *tum docenti per litteras commendaret. Is* p) *haud dubie diſcipuli iſtius,* SCHENCKIUM *magiſtrum ſuum deplorantis oratione adductus, apud* Auguſtinum Müllerum, *Syndicum & Subſcholarcham* Auguſtanum (*Fuerat is* Tubingam *miſſus, Virum Scholæ* Auguſtanæ *aptum conquiſiturus*) *eam* Matthiæ *mentionem fecit, ut ille ad amandum* Noſtrum *eumque conducendum facile impelleretur. Hinc altero ſtatim ab eo ſermone menſe* (*Contigerunt autem omnia hæc extremo anno* 1552.) MULLERUS Con-

o) Factum hoc fuiſſe *anno* 1542, CROPHIUS in *Hiſtor. Gymnaſ. Annæi Auguſtan.* affirmat.

p) Epiſtolam *Benigni* ſuper *vocatione Auguſtana* ad *Noſtrum*, anno 1552. in die *S. Andreæ* datam, exhibet *J. G.* SCHELHORNIUS in *Amoenit. litter.*, *T. XI.* p. 263. â BRUCKERO ſibi communicatam.

Conſtantiam *negotii cuiusdam conficiendi cauſſa delatus*, *ſcholaſticum munus* Noſtro *ultro obtulit*, Noſter *rebusſuis ita exigentibus lubenter accepit. Quare ſequenti menſe Februario* 1553. Matthias *litteris* MULLERI, *nomine juſſuque Scholarcharum ſcriptis q*) *evocatus* Auguſtam *venit. Equidem tum transigi res haud illico poterat; ſed miſſis ultro citroque litteris ita demum* Matthiam *inter & Scholarchas convenit, ut is approbatis utrinque conditionibus menſe* Julio *univerſam familiam ſuam, cum diſcipulo* Wolfg. Zindelino Auguſtam *transtulerit, ad novum munus aggreſſurus.*

Quanti labores *Noſtro*, ſtatu *Scholæ Annææ* per calamitates illorum temporum & alios ſiniſtros caſus multum corrupto, ſubeundi: quanta devoranda fuerint tædia, longum eſſet referre, nec ſatis inſtituto meo accommodatum; quippe qui non *hiſtoriam Gymnaſii* eius, ſed Viri litterati vitam deſcribendam mihi ſumſerim. Quare plura de his ſcire aventem ad ipſam *Noſtri Epiſtolam*, tum etiam ad *Phil. Jac.* CROPHII *Hiſtoriam* vernaculam *Gymnaſii Annæi Auguſtani*, *p.* 18. *ſeqq.* remittendum cenſeo, ſatis habens, id inpræſentiarum monere: SCHENCKIUM, ſcholaſtico muneri præfectum, non famæ ſuæ, ſed diſcipulorum utilitati ſtuduiſſe: & libris academica ſtudia præſeferentibus, quibus poſt BETULEII, obitum præceptores nonnulli, academico inflati typho, ſuperbire cœperant, repudiatis, non alta jactaviſſe, ſed utilia ac ſolida ſectatum eſſe. Hinc ut ſuorum conatuum exitum optatiorem haberet, adiungi ſibi *Hieronymum* WOLFIUM & petiit & impetravit: unitisque cum eo Viro

(*q*) Epiſtolam *Mülleri* anno 1553. die 12. Januar. *Noſtro* ſcriptam habes ex communicatione dicti ſæpiſſime BRUCKERI apud SCHELHORNIUM, *l. c. p.* 365.

Viro doctiſſimo viribus rem ludi illius reſtituit, ornavit, confirmavitque usque in annum 1571. quô, die 11. Julii, ex morbo ſeu cephalalgia dicta *Hungarica* obiit, annos natus 54. Gymnaſio regendo præfectus 18.

Habes, amice Lector! *Vitam* SCHENCKII, maxima ex parte ipſiſſimis illius verbis deſcriptam. Is vivus monumentum ſepulchrale ſibi, ſuisque anno 1567. poſuit, quod videre eſt inter PRASCHII *Epitaph. Auguſt. T. I. p.* 210. Mortuo *Lucas* GEIZKOFLERUS, de quo ſupra *pag.* 200. dixi, Epitaphium honorarium ſcripſit.

Fuit *Noſter* plane rudis *uſitatæ hodie ac prope neceſſariæ oſtentationis* (Sic de ſe affirmat) *& pudorem quendam ſubruſticum, ſibi congenitum, alens: qui ita diuturno vitæ ſolitariæ uſu confirmatus auctusque eſt, ut, præterquam quod multis honeſtis Noſtri conatibus ſæpe obſtitit, eum etiam frequentandis hominum cœtibus ineptum reddiderit: eorum præſertim qui, non tam veris, quam gratis audiendis aſſueti, ingenui hominis candido ſermone facile offenduntur. Quæ cauſſa fuit, cur hominum congreſſus minus expeteret, ſolitudinis amans...*

Fuit *Noſter* laudis nequaquam appetens, in pulvere ſcholaſtico *multos annos non Conſtantiæ ſolum, ſed & Auguſtæ vivens obſcure, ac publico abſtinens;* adeo ut, licet abs *Hieronymo* WOLFIO incitatus, famam ſcribendo ſibi ut pararet, amici huius ſui monitis parere recuſârit.. Fuit prætera ab omni propriæ utilitatis ſtudio maxime alienus; *nam cum Collegis ſuis augerentur ſtipendia, ipſe ſolus pacta ab initio mercede ... contentus fuit: ea in re plus pudori ingenito obſequens, quam rei conſulens familiari ſuæ.* Hæc de indole *Noſtri.*

At

At fuit idem (ut de eruditione eius pauca dicam) græce latineque doctiſſimus ; Poeta & Orator elegans ; Vir ad ſcholaſticam diſciplinam natus ; methodi amantiſſimus ; ſcientiarum artificium ex *Sturmiana* inſtitutione edoctus probe *r*) , docendo denique infatigabilis.

Quanquam *Noſtrum* ſcribendi cacoethes minime tenuerit , utpote quod mâlum in memorata *Epiſtola* ſua exagitat multîs , quæ in noſtram adeo ætatem plurimùm quadrarent ; tamen â palæſtra litteraria non tam aſymbolus , nec plane ἄγραφος (uti â pluribus Scriptoribus , minorî indagandi diligentia uſis, affirmatum eſt) exceſſit *Matthias*. Nam, ut *Elementa pietatis & litterarum* , quæ in *Auguſtana* Schola *Annæa* pueris initio proponi ſolent, ſilendo prætercam , habentur inſuper ab eo ſequentia :

I. *Jo.* RIVII *Atthendorienſis Inſtitutionum grammaticarum Libri VIII. &c.* in 8o. *Auguſtæ Vindel.* 1558. iterum 1578. Has edidit *Noſter* , dolens in *Præfatione* , Doctorum virtutem & auctoritatem imminutam eſſe : *Rivianum* Opus ab imperitorum judiciis vindicans, atque collaudans.

II. *Epiſtola* apologetica *ad Hieronymum Wolfium* , data poſtridie Nonas Februar. 1563. qua rationem reddit , cur eundem ad editionem *Commentariorum in Ciceronem de Officiis* hortatus ſit. Vide ſupra *p.* 193. & *Joſ.* SIMLERI *Biblioth.*

III. *Hadriani* JUNII. . . *Nomenclator* latinus , græcus , germanicus, *ad Scholarum uſum . . . accommodatus.* in 8o. *Auguſtæ.* Dicavit *Noſter* Stephano *Endorfero* optimæ ſpei adoleſcenti , anno 1571.

Ca-

r) Ita affirmat *J.* BRUCKERUS , in *Miſcellan. Hiſtor. &c. p.* 344.

Calend. Junii; unde colligo *primam* editionem libelli huius dicto anno exiviſſe. Vidi etiam *Auguſtanas* editiones, anni 1578. & 1581. in 8o. In *Dedicatoria* inquit: *Quod optandum bonarum litterarum ſtudioſis ... erat, ut ſuppreſſis ... libellis inutilibus, in unoquoque artis ac doctrinæ genere, unus aliquis exſtaret; qui eam, quoad eius fieri poteſt, complecteretur univerſam, id ſuperiore anno ..* Hadrianus Junius *præſtitit exhibito nobis* Nomenclatore ... *Eum ut vidi, ita probavi, ut prius conquieſcendum mihi non putârim, quam effeciſſem, ut .. ad Scholæ eum noſtræ uſum accommodâſſem.* Impetratâ in eum finem à Chriſtophoro *Plantino*, è cuius typographia *Nomenclator Junianus* prodiverat, veniâ *Noſter* ad rem efficiendam ſe parans cognoverat, *Simonem Oſtermannum* Rectorem Scholæ *Lavinganæ s*) in ſimili argumento verſari. Id *Noſtrum* â propoſito deterruit, eoque facilius; quo maiorem præclari Operis ſpem illi *Oſtermannus* ſcriptis deſuper litteris feciſſet. Quia vero eundem e medio curſu retractum fuiſſe adverterat *Noſter*, *Plantini* facilitate ſibi plane utendum ratus eſt: et quamvis interea *Adamus* SIBERUS *t*) *Epitomen Juniani Nomenclatoris* publicaſſet: tamen, quia non tam multa exemplaria *Auguſtam* deferebantur, quam multis Scholæ illi, admodum frequenti, opus fuerat: & quia SIBERUS Dialecto *Miſnica* uſus erat, *Noſter* libellum typographo Michaeli *Mangero* excudendum tradidit.

IV. *Epiſtola ad Hieronymum* WOLFIUM prolixa admodum, data 1571. die 18. Januarii, ſæpius mihi

s) Cuiusdam *Simonis* OSTERMANNI *Vocabularium analyticum*, *Lavingæ*. 1591. excuſum *Mart.* LIPENIUS in *Bibliotheca philoſoph.* memorat.

t) De SIBERO vide FREHERI *Theatr. Erudit.*

hi laudata, quâ WOLFIO, ut edito aliquo ingenii documento *docta Virûm volitare per ora eniteretur*, hortanti reſpondet; fata ſua recenſet; indolem depingit; ſcriptitandi inſaniam carpit; WOLFII abſtinentiam a re uxoria laudat, optans, ut quotquot magna diſcendi cupiditate flagrant, in hoc eiusdem exemplum æmulentur &c. Extat cum *G.* MORELLII *Tiliani Tabula de Origine &c. Philoſophorum.* Vide ſupra *pag.* 200. Recudi eam fecit *J. G.* SCHELHORNIUS in *Amoenit. litter. T. X. p.* 1047.

V. *Epiſtola ad Scholarchas Auguſtanos de docendi, diſcendique Ratione.* Hanc in lucem protraxit, ediditque *Jacobus* BRUCKERUS in *Miſcellaneis Hiſtor. philoſ. crit. litter. p.* 345. quaſi *leonem ex ungue* cognoſcendum daturus.

VI. *Conſtantiæ Querimonia*, cuius WOLFIUS ſupra *p.* 203. meminit et quam inter reculas ſuas ſervare ſe monuit *J. G.* SCHELHORNIUS, *l. c. T. X. p.* 1048. nitide ſcriptam. In hac civitatem *Conſtantiam*, patriam ſuam, â *Carolo V.* libertate privatam, per proſopopoeiam inducit, cauſſam ſuam coram *Imperii Romani* Proceribus ſtrenue agentem. Hanc *Noſtrum*, poſt captam patriam *Conſtantiam*, typis vulgâſſe, tradit CROPHIUS *l. c. p.* 137.

VII. *Hiſtoria Scholæ Annææ MSSta. ab anno* 1552. *ad* 1565. Hanc *Noſtro* tribuendam judicant *Paulus* â STETTEN *u*) & *Jac.* BRUCKERUS *l. c.* Confer *J. G.* SCHELHORNIUM *L. c. T. XI. p.* 362.

Habes, amice Lector! quæ de Vita Scriptisque *Matthiæ* SCHENCKII colligere potui. His adde: fuiſſe *Noſtro* filium *Joannem* SCHENCKIUM, haud

u) V. *Eius Hiſtoriam Auguſtanam* vernaculam, *T. II.* in prævia *Notitia de Scriptor. Rer. Auguſt.* §. 11. *no.* 46.

(haud dubie *Iſnæ* genitum) diſcipulum *Wolfii*, poſtea Medicinæ Doctorem & Phyſicum *Norimbergenſem* (Vide ſupra , *p.* 200.) ab anno 1568. usque ad annum 1588. quô ad diem 17. Novembris fatis conceſſit , teſtante *J. A.* WILL in *Nürnbergiſchen Gelehrten - Lexicon*, probe diſtinguendus à *Joanne Schenckio* dicto *à Graffenberg*, Medico *Friburgenſi*.

XYLANDER (*Guilielmus*)

Guilielmum XYLANDRUM , vernaculo nomine *Holzmann* dictum , *Auguſta Vindelicorum* ad diem 26. Decembris , in feſto *S. Stephani* Protomartyris , annô â parta ſalute M. D. XXXII. protulit , pertenuis quidem fortunæ parentibus editum , contra magnis ingenii dotibus ornatum *a*). Unde mature in ludum *San - Annæanum* miſſus inſignes in litteris progreſſus ſub *Xyſto* BETVLEIO fecit , cuius non ſolum inſtitutionibus uſus , ſed & prolixis comendationibus mecænates ſtudiorum nactus fuit *b*). Teſtatur hoc ipſe in *Carmine lugubri*, quô didaſcali ſui ſupremis fatis defuncti Manibus grati diſcipuli officium perſolvit *c*). Huc quoque pertinent , quæ ADAMUS *d*) commemorat :

Experiri cogebatur Guilielmus ipſe in ſe , quod Poëta olim cecinit :

Haud facile emergunt , quorum virtutibus obſtat
Res anguſta domi.

Idem

a) V. ADAMI *Vitas Philoſoph.* *p.* 134. CRUSII *Germano - Græciam* *p.* 325.

b) V. *Alphabetum V. Biblioth.* meæ *Auguſtan.* *p.* 10. ubi etiam Vitam BETULEII ipſius habes.

c) Extat hoc *Carmen* inter reliqua *Noſtri*.

d) *Loco* mox *citato*.

Idem tamen etiam expertus eſt in ſe oraculi divini veritatem: Quærentibus Jehovam non deerit omne bonum. Cum enim in puero, primorum utriusque linguæ (græcæ ac latinæ) *rudimentorum non infeliciter perito parentes, ob inopiam et rei familiaris difficultates, facere ſumptus ad progreſſiones litterarias neceſſarios neque vellent, neque poſſent; atque ob id illum retrahere à litteraria Schola, & ſedentariæ arti mancipare cogitarent: nobilis Patritius* Wolfgangus REHLINGERUS *impetrata ipſi ex ærario publico ſtipe effecit, ut, quibus ſemel deditus fuerat ſtudiis, in iis pergere cupienti liceret tantiſper, dum, probatis profectibus in Collegium Ulricianum primùm, deinde Antonianum inter alios, qui diſcendarum liberalium artium cauſſâ publice ibi alebantur, receptus fuit.*

Auguſtâ relictâ in Scholam *Tubingenſem*, inter cuius *Inſcriptos* eum ad annum 1549. apud CRUSIUM *e*) reperio, veniens *Jacobum* SCHECKIUM audivit. Unde poſtea amplis eundem laudibus in *Annotat.* ad *Mich.* PSELLUM mactavit non ingratus diſcipulus: *Qui plura deſiderat, is ab Ariſtotele petat, eiusque interpretibus, præſertim vero eo, qui doctrina fideque in eo exponendo ceteros longo poſt ſe intervallo relinquit,* SCHECKIO... *Medico peritiſſimo, præceptore meo fideliſſimo. Eius enim ſunt pleraque hæc: eique & iſta, et ſiquid eſt aliud, quod in Philoſophiæ ſtudiis recte percepi, grato animo lubens ingenueque refero.* Confirmat hoc *Noſter* in *Dedicat.* ad *Diophantum.*

Profecto ex illo tempore ſingulari *Philoſophiæ*, uti et *Medicinæ* penitius addiſcendæ laudabili admo-

e) In *Annal. Suevicis Dod. III.* p. 674.

modum cupiditate flagrâſſe *Noſtrum*, perſuaſum mihi habeo. Poſtquam *Tubingæ* ſtudiis aliquamdiu vacaverat, *Auguſtam* redux, abs Senatore *Jo. Henrico* HERWARTO magno litterarum, unà cum pluribus ſuæ gentis, Patrono domô benigne exceptus fuit: apud quem etiam græcis Scriptoribus, quos poſtea in lucem emiſit publicam, convertendis initium fecit, non huius ſolùm Mecænatis, ſed et *Hieronymi* WOLFII ſuavi converſatione utens, eâque dolorem, quem ex tenui afflictaque rei familiaris ſuæ fortuna percipere poterat, conſolans; uti monet *Daniel Ludovicus* WUNDT in *Magazin für die Kirchen-und Gelehrten-Geſchichte der Pfalz. Vol. I. p.* 168.

Poſthæc *Baſileam* profectus, in ea Univerſitate, circa annum 1556. *Artium Magiſter* eſt renunciatus; uti memoratus CRUSIUS *f*) docet, quocum ipſo haud trivialem amicitiam *Xylandrum* foviſſe, ex iis liquet, quæ idem CRUSIUS adjungit: *Anno* 1555. & 1556. *quando Auguſtæ, & in Arce Cronburgo diſcipulis præfuit Xylander, aliquoties mecum humaniſſime Memmingæ g) fuit.... Heidelbergæ anno* 1559. *æſtate mihi* (Cruſio) *diutius benevolentiſſime hoſpitium præbuit, Spiramque duxit. Januarii autem die* 16. *et inde, anno* 1575. (non 1557. uti per errorem typi legitur) *hic* (Tubingæ) *mihi familiaris erat; quando Diophantum Principi noſtro, cui dedicaverat, obtulit Stutgardiæ... Valde ſuos theologos, quod pro Ariſtotele Petrum Ramum introducere, & ſcholaſticos gradus abrogare vellent, improbabat. Laonicum Chalcocondylam manuſcrip-*

f) In *Germano-Græcia, p.* 135. 325.

g) Scilicet ab anno 1554. aliquamdiu *Rectorem* ludi *Memmingenſis* egit CRUSIUS.

nuſcriptum mihi eôdem annô miſit. Anno 1561. *de obitu uxoris Sibyllæ afflicto mœrorem græca conſolatione abſtergere conatus eſt: cui elegiam latinam Joannes* POSTHIUS *Heidelbergæ ſociarat.* Refert plura CRUSIVS arctioris amicitiæ documenta, quæ ego in alium locum ſervo, ubi de *Epiſtolis & affectis Operibus* Noſtri dicam. Jam ad alia —

Sic *Xylander*, dignitate *Magiſterii* ornatus, haud dubie arctiùs ad *Philoſophiæ*, & *Medicinæ* ſtudium animum adjeciſſet, niſi eum rerum ſuarum ratio ad grammaticos labores retraxiſſet. Audiamus ipſum de ſe loquentem *h*): *Quæ mihi cauſſæ fuerint, aut potius qua neceſſitate compulſus*, Philoſophiæ & Medicinæ ſtudio deſperato, *animum ad* grammaticos labores *appulerim, iisque ſumptus meos ita exſarcire (ut tamen aliqua in parte apud nobiliſſimas diſciplinas hærerem; et quaſi extrema linea philoſophari poſſem) intenderim: neque commemorare ſane queo, quin multa mihi, quæ jam conſanuiſſe videntur, vulnera recrudeſcant, & multis bonis viris non eſt ignotum. Enimvero cum edita* Dionis Nicæi Romana Hiſtoria *animadverterem, me haud infelix tyrocinium depoſuiſſe; quod id meum Opus abunde, et pro ætate (quæ etiamnum duobus amplius a trigeſimo abeſt annis) et conditione mea doctis aliquot clarisque Viris probaretur ... ſimulque res ita meæ hortarentur, ſtatui ſuſceptum munus* (puta: labores grammaticos) *perſequi* — Sed ad reliqua.

Credibile eſt, *Noſtrum Baſileæ* aliquamdiu reſtitiſſe: atque intra illud temporis ſpatium ingenii ſui primos foetus, opitulante *Oporino* & aliis

h) In *Præfatione* ad *Plutarchi Operum T. I. Heidelbergæ.* 1561.

viciniæ eius typographis, in lucem publicam eduxiſſe: ſicque ex accepta in litterariorum laborum præmium pecunia vitam tolerâſſe. Eo ipſo tempore in *Thomæ* ERASTI notitiam amicitiamque venit, ex qua poſtea multum utilitatis cepit, teſte citato *D. L.* WUNDTIO.

Itaque dum ad hoc ſtudii genus, quo ſibi, in tanta rerum penuria, vitæ neceſſaria pararet, gnaviter incumbit *Noſter;* peraccommode accidit, ut *Jacobus* MYCILLUS, græcæ linguæ Profeſſor *Heidelbergæ*, anno 1558. die 28. Januarii humanis rebus valediceret: cui ut dignus ſucceſſor daretur, ſupra nominatus *Eraſtus*, quem interea Elector *Otto Henricus* Archiatrum, & publicum *Medicinæ* Profeſſorem conſtituerat, prolixa commendatione ſua effecit, ut *Xylander* menſe *Auguſto* eiusdem anni *Heidelbergam* vocaretur: quò is ineunte hyeme veniens, die 22. Decembris in Senatum academicum introductus eſt, pactô *centum florenorum honorariô*, quod ea ætate & ea, quæ tum erat, annonæ vilitate nec exiguum, nec grande dixeris. Addidit poſtea, agente eodem ERASTO, alios *triginta florenos* ſucceſſor *Fridericus III.* ornandis & *defendendis Muſis natus* Princeps *i*) Quam in ſe collatam gratiam XYLANDER non ſolùm grato animo publice profeſſus *k*), ſed ex ea etiam conſecutus eſt, ut, *qui ſæpe recordatione priſtinarum, et præſentium ſenſu miſeriarum labefactatus, quaſi cum deſperatione fuerat colluctatus, jam principali aura refocillàtus reſpirare à præteritis ærumnis poſſet.*

Sed

i) De hoc vide *D. L.* WUNDTIUM.

(*k* In *Dedicat.* ad *T. I. Plutarchi Opp.*

Sed haud diuturna *Noſtro* felicitas iſta fuit. Nupſerat is magis pro genio, quam reſpectu ad tenues opes habito: Familiam, quam aleret, nactus fuerat. Hinc annuum *honorarium* ad ſumptus, quos facere neceſſe erat, minus ſufficiebat: et niſi litterariîs laboribûs aliquid pecuniæ ſibi paravisſet, triſti neceſſitati, magna debita contrahendi, obnoxium ſe procul dubio vidiſſet. Interim ab ære alieno haud omnino liber manſit, etſi anno 1567. *Fridericus III.* apud quem gratiâ multum valuit *Noſter*, ultrò ac ſponte 50. *florenos* annuæ mercedis adjecerit. Rei ſeries hæc eſt. Habebat *Noſter*, uti Profeſſores reliqui, pro more, qui tum in Academia viguit, certorum vini ac frumenti reddituum adminiſtrationem, quorum rationem Univerſitati ſtatis temporibus redderet. De his intra decennium, ex quo *Profeſſor* conſtitutus fuerat, *florenos* circiter *ducentos & octoginta Guilielmus* decerpſerat & in ſuos converterat uſus. Quid conſilii? Adit libello ſupplici anno 1568. die 22. Novembris *Fridericum* Electorem. Is libellum ad Senatum remittit, ut de argumento ad ſe referatur. At, quòd *Xylander* in diuturna & magnis animorum motibus agitata (*de diſciplina eccleſiaſtica Genevenſi*) controverſia factionem aulæ adverſantem ſecutus fuerat, ſolos florenos *centum*, idque non niſi difficulter, condonatos obtinet; reliquum ex annuis redditibus ut per vices ſolvat, condemnatur. Hoc modo, etſi *Fridericus* 50. florenos priùs addidiſſet, tamen emergere e tenui fortuna haud valuit *Noſter*. Vide ſæpius laudatum *D. L.* WUNDTIUM — At mittamus triſtia hæc.

In *Profeſſoris* functione conſtitutus *Xylander* juventuti academicæ optimos quosque Auctores

ita ſollerter dextreque explicavit: tanta fide, ac diligentia tanta muneri ſuo præfuit, ut ei *Philoſophiæ* quoque tradendæ officium impoſitum fuerit: quod eo verius eſſe dignoſcitur, quò diſertius ſemet in *Dedicatione* ad *Tom. II. Plutarchi Operum*, anno 1570. *publicum Philoſophiæ in Univerſitate Heidelbergenſi Profeſſorem*: et in *Dedicat.* ad *Diophantum*, *publicum Philoſophiæ Ariſtoteleæ Doctorem* appellat. Quando vero ad *Profeſſoris Philoſophiæ* dignitatem aſcenderit, ipſe declarat in *Dedicatione* ad *Plutarchi Commentarium* (Quomodo adoleſcens audire Poetas debeat: & de Homeri Poeſi &c.) in qua illuſtrem Principem, ſummæ ſpei adoleſcentem, *Chriſtiferum*, filium *Friderici III.* Electoris Palatini in hæc verba alloquitur: *Cum in hac Schola, quam Maiores tui inſtituerunt, pater tuus inſtaurare, amplificare ac tueri pergit, græcam linguam publice docere (id quod... per annos circiter quatuor cum ſemiſſe feceram) ſuperiore anno* (1563.) *deſiviſſem, ad Ariſtoteleæ Logices vocatus inſtitutionem*... Subdit: *Vixdum lucubrationem hanc ad finem perduxeram, cum peſtilentiæ contagioſa lues Scholam noſtram diſſipavit: qua publica in calamitate reliquias Scholæ Oppenhemium proſecutus, quod à docendi occupatione... reliquum habui temporis, id SS. Litteris atque Scriptoribus impendi. Nonnihil tamen humanioribus etiam litteris deciſum eſt. Itaque tum alia egimus in iſto quaſi exilio, tum* Plutarchohomerica *noſtra recognovimus, caſtigavimus, auximus...*

Quas deinde dotes tum ad docendum, tum ad reliquos litteratos labores attulerit, ipſe modeſte rurſus ſequentibus docet *l*): *Si ingenii mediocrem vim*

l) V. *Præfationem* ad *Plutarchi Opp. T. I.*

vim, honeſti propoſiti tenendi pervicacem quandam cupiditatem, Græcæ et Latinæ linguæ peritiam non plane vulgarem, ſtudium, diligentiamque, et in tractandis alienis Operibus fidem, tum laborum tolerantiam, et reipublicæ litterariæ augendæ promptam voluntatem ipſe mihi derogem: faciam ſane imprudenter... Deinde ætas, quæ fortaſſis nonnullis de temeritate erit, et de cæco ſui amore ſuſpecta, cautiorem me profecto, quam ſecuriorem aut confidentiorem fecit; præſertim qui gloriam poſtremo loco ponerem, neque famæ cupiditate, ſed famis metu lucubrarer. Et alibi *Virum* ſe vocat *ſi non doctum, ſaltem non ineruditum, et cuius non contemnenda eſſent in promptu diligentiæ, laborum tolerantiæ, conatusque rempublicam litterariam amplificandi documenta.*

Verùm non ad litteraria duntaxat, ſed politica quoque negotia adhibitum fuiſſe *Noſtrum*, teſtis luculentus eſt ADAMUS *m*) dicens:

Annô 1564. (non 1546.) menſe Aprili, *cum* Fridericus III. Palatinus *Septemvir*, *et* Chriſtophorus Wirtembergicus, *in* Maulbrunnenſi *monaſterio conveniſſent: ut de Controverſia Euchariſtica Colloquium inter Theologos utriusque partis inſtitueretur: adhibitus eſt à Palatino* Xylander, *qui Notarii munere fungeretur; ſicut à Wirtembergico* Lucas Oſiander *ad idem munus fuit delectus. Anno itidem* 1571. *cum idem* Fridericus, *Colloquium* Franckenthalæ *cum Anabaptiſtis, in Palatinatu tunc nidulantibus, publica fide interpoſita, indixiſſet:* Wenceslao Zulegero *præſidi;* Petro Dathenio, *concionatori aulico, collocutori;* Xylander *cum* Caſparo Fauso *et* Martino Neandro *adjunctus fuit: qui Notarii munus ea in actione obiret. Et hoc quidem Colloquium* (*ut*

m) In *Vit. Philoſoph. p.* 134.

(ut παρέργως id addamus) die 19. *Junii ſolutum fuit: cumque nullis ſacræ Scripturæ teſtimoniis, nullis rationibus inſana capita à pertinacia inſanabili dimoveri poſſent: Elector, jure magiſtratûs in eos uſus, graviſſimâ poenâ indictâ, ne in ditione ſua docerent, et ſubjectos Palatino Septemviratui populos ſeducerent, interdixit.*

Audivimus ſuprà *Noſtrum* ex *Eraſti* amicitia multum emolumenti percepiſſe; at non minus moleſtiæ ac faſtidii ex eadem percepit idem. Pullulaſcere cœperat ab anno 1568 - 1572. funeſtus quidam *Arianiſmus*, & *Palatinatum* gravibus turbis miſcuit. In his, *Eraſti* partibus ſe ſocians, *Noſter* varia paſſus eſt: cúmque *Eraſtus* ab adverſariis hæreſis accuſaretur, in ſimilem *Xylander* infamiam adductus fuit; adeo ut domî ſe continere publica auctoritate juberetur. Demum *Eraſto*, ſententiâ ipſius Electoris abſoluto, *Noſter* quoque libertati reſtitutus eſt, quin vel ad dicendam cauſſam poſtulatus fuerit. Quantum autem mæroris afferre ſiniſter caſus iſte debuerit Viro exigui cenſûs, & opis alienæ indigo, pronum eſt judicare. Acceſſit ad hæc nova domeſticæ rei anguſtia, qua compulſus *Noſter* quinquaginta florenos mutuos dari ſibi ab Academia annô 1575. flagitavit, oblata in pignus ſuppellectile ſua argentea. Recuſavit pignus Academia, poſtulatamque ſummam *Noſtro*, ſolô chirographô acceptô, numeravit. Vide *D. L.* WUNDTIUM *l. c.*

Hæc fata fuerunt *Xylandri*, qui, poſtquam rei publicæ litterariæ egregie inſerviit, morbo ex intempeſtivis laboribus & continuis lucubrationibus contracto vitam finiit anno 1576. die 10. Februarii; ætatis 44. *Heidelbergæ* ad *D. Petri*, in ſacel-

lo

lo Academiæ, cum magno Collegarum & ſtudioſæ juventutis luctu ſepultus.

Elogia, quibus Viri docti *Noſtrum* honorandum cenſuerunt, tum multa ſunt, tum ſplendidiſſima, e. g. THUANI *ad annum* 1576. LEUNCLAVII in *Præfat.* ad *Dionem Caſſium.* HUETII in Libro *de claris Interpretibus.* *Joſ.* SCALIGERI in *Epiſtola* 247. ad *Cl.* SALMASIUM, & *n*) in *Scaligerianis II.* MARVILII *) in *Miſcellaneis T. I. p.* 191. ADAMI in *Vitis Philoſoph.* VOSSII in *Libr. de Mathematicis.* BOISSARDI in *Iconologia.* CRUSII in *Germano - Græcia, p.* 293. GATAKERI in *Antonino Imperat.* a ſe 1652. *Cantabrigiæ* edito. BAILLETI in *Jugemens des Savans. T. II. P. II. p.* 84. & *T. II. P. III. p.* 368. qui omnes inſignes in *Noſtrum* laudes contulerunt, quas hôc locô diſertis attexere verbis, brevitati ſtudens, omitto. Quid enim teſtimonia doctorum Virorum longiùs accumulem; cùm horum vicem aptiſſime ſupplere queant, extantia adhucdum ingenii & diligentiæ *Xylandrinæ* documenta quamcunque teſtimoniorum fidem multum ſuperantia: ſcilicet Opera, quæ vel typis procuſa *o*) publici juris fecit: vel à ſe meditata mo-

 riens

n) SCALIGER ibi *Noſtrum* inter alia ebrioſitatis accuſat. Sed excuſant ab hoc probro, non purgant BRUCKERUS in *Ehrentempel, p.* 29. & *D. L.* WUNDTIUS *l. c.* Fors *Noſter* quandoque Baccho indulſit, curas animi vino veluti diluturus, quod etſi à philoſopho alienum ſit, in hominem tamen afflictum, nec bene, quò ſe vertat, ſcientem cadit.

*) Hic addit: *Noſtrum pro modica offa ſuas in Dionem Caſſium Notas vendere compulſum fuiſſe*; quod BRUCKERUS in *Ehrentempel, p.* 28. credere renuit — Transeat.

o) Hæc aptiſſimis ac doctis *Indicibus* ornavit *Noſter*, quos *Conr. Sam.* SCHURZFLEISCHIUS optimos eſſe, ac

præ

riens hæredibus reliquit. Itaque ad hæc enumeranda procedo.

I. DIONIS *Caſſii Romanarum Hiſtoriarum Libri (tot enim hodie extant) XXV. nimirum a XXXVI. ad LXI. de græcis latini facti Guilielmo Xylandro Auguſtano, Interprete, cum Annotationibus. Joannis Xiphilini è Dione Compendium, Guilielmo Planco Albienſi Interprete: quæ Verſio ab eodem Xylandro eſt, ubi oportuit, caſtigata. Iidem Libri Dionis ac Xiphilini ſeorſim græce quoque eduntur, accurate ab eodem emendati.* in folio. *Baſileæ.* 1558. *Lugduni* in 8o. 1559. *Francofurti ad Moenum* in 8o. 1592. caſtigante *Joanne Leunclavio.*

Hic *Noſtri* labor deinde *Dionis* editioni *Stephanianæ* anni 1591. poſtea etiam *Leunclavianæ* anni 1606. ambabus græco - latinis, acceſſit *a*). Eôdem etiam noviſſimam ac ſplendidiſſimam editionem *Hamburgenſem* anni 1750. II. Vol. in *folio* complexam ornare non dubitavit *Herm. Samuel* REIMARUS, quem vide.

Opus iſtud *primitiæ* laborum, quos in hoc ſtudii genere exantlavit *Noſter*, merito dicitur. Vide ſuperius in *Vita*, *pag.* 227. Nuncupavit autem illud ſupra dicto *Joanni Henrico* HERWARTO Patritio *Auguſtano*, Viro *in hiſtoriæ omni genere ſumma cum induſtria fructuque verſato: apud quem commorans, commodeque ac liberaliter in familia habi-* tus

Præſtare monuit (uti & *Sylburgianos*) *ex quibus plurimi eruditionem ſuam hauriunt.* Sed addit idem: *Præſtat tamen fontes ipſos adire.* V. WAGENER *Schurzfleiſchiana.* p. 205.

a) V. EHINGERI *Catalog. Biblioth. Auguſt. p.* 412. FABRICII *Biblioth. græc. L. IV. c.* 10. *p.* 326. *Catalogum Biblioth. Bünav. T. I. P. I. p.* 163. Librum: *Denckwürdigkeiten der Dresdenſchen Biblioth. T. II.*

tus Noſter, & eius hortationibus, officiis ac beneficiis adductus Auctores hos intra ſeptimum menſem traduxit. . . . Nuncupatoriam ſequitur *Noſtri* longa *Elegia* in *Dionem* ſuum. *Græcum Textum*, quem edere *Noſter* ſuprà promiſit, emanâſſe, cum REIMARO vix credo.

II. *M. Aurelii* ANTONINI *de ſe ipſo ſeu Vita ſua Libri XII. græce et latine nunc primum editi, Guilielmo Xylandro Interprete, qui etiam Annotationes adjecit &c.* in 8o. *Tiguri.* 1558. Primus edidit *Noſter* ê Codice Palatino, & ſuadente *Conrado* GESNERO latine vertit, etſi non prorſus feliciter. Latinè hæc editio recuſa fuit in 12o. *Lugduni.* 1559. Hinc *Libros* iſtos emendatiores idem *Xylander* denuo imprimi fecit græce et latine, *Baſileæ.* in 8o. 1568. additis ANTONINI *Liberalis Metamorphoſeon Collectaneis*: PHLEGONTE *Tralliano de rebus miris, de Longævis, de Ludis Olympicis*: APOLLONII *Hiſtoriis admirandis*: ANTIGONI *Caryſtii admirandarum narrationum Collectaneis.* Prodierunt hæc omnia rurſus *Argentinæ.* 1590. in 8o. Notæ *Noſtri* una cum Notis *Merici* CASAUBONI recuſæ 1643. extant in GATAKERI *Opp. critic. fol.* 1698. *Trajecti ad Rhenum*, qui ipſe GATTAKERUS jam prius anno 1652. *Antoninum* in 4to. ſeparatim ediderat *Cantabrigiæ*, addita Verſione nova latina.

Operâ, quam *Noſter Antonino Liberali* impendit, *Thomas* GALE in *Scriptor. Hiſtor. Poët. Pariſiis* 1675. poſtea *Thomas* MUNCKERUS in *Antonino*, a ſe 1676. in 12o. *Amſtelodami* vulgato, uſus eſt. Laborem in *Phlegonte* â *Noſtro* inſumptum ſibi adoptavit *Joannes* MEURSIUS; cuius cum Notis denique tranſiit in *Jacobi* GRONOVII *Theſaurum Antiquit. græcar. T. VIII. & IX.* ubi videſis.

Idem

Idem MEURSIUS Verſionem *Apollonii* â *Noſtro* confectam recudi curavit *Lugduni Batavorum*, in 4o. 1620. Eundem honorem mox memoratus MEURSIUS etiam Verſioni *Antigoni Caryſtii* habuit, dum hunc Auctorem anno 1619. *ibidem* typis repetitis exſcripſit *a*). Denique hæc omnia cum ipſo MEURSIO inter eius Opera, â *Joanne* LAMIO *Florentiæ* Tomis *duodecim* noviſſime vulgata, rurſus foras prodiverunt.

Ad illuſtranda ea, quæ ſuprà dicta ſunt, afferre juvat ſequentia ex *Dedicatione Noſtri* ad *Albertum à* STETTEN, *Georgii* Viri Conſularis filium, adoleſcentem optimæ ſpei, anno 1568. *Heidelbergæ* exarata: *Quos ad te mitto libellos, eos græcos ex vetuſtiſſimis membranis, rariſſimo mihique aliàs nunquam viſo charactere conſcriptis transſcriptos ſuperiore anno, eum otioſus Auguſtæ eſſem, in latinum ſermonem transtuli. De quibus edendis cum cogitarem, venit mihi in mentem* M. Antonini de Vita ſua *librorum, quos ante annos fere* 9. *à me latine factos ad patrem tuum officii cauſſa emiſeram. Quæ mea lucubratio cum fœde eſſet incuria operarum typographicarum depravata . . . jam pridem cogitaram de remedio ei malo faciendo. Poſtquam autem de cæteris, quæ dixi, opuſculis tibi dedicandis conſtitutum apud me fuerat, illico ea ad animum mihi acciderunt, quæ me impellerent, ut his* Antoninum *meum adjungerem. . .*

a) V. *Catalogum Biblioth. Bunav. T. I.* FABRICII *Biblioth. græc.* EHINGERI *Catalog. Biblioth. Auguſt.*

III. *Michaelis* PSELLI *Liber de IV. Mathematicis ſcientiis: Arithmetica, Muſica, Geometria, & Aſtronomia. Græce et Latine, Guilielmo Xylandro, Interprete.* in 8o. c. figuris, *Baſileæ.* 1556. Acceſſerunt

runt

runt *Xylandri* nonnullæ *Annotationes* & *Carmen* prolixiſſimum, 24. et ultra pagellarum, *de Philoſophia eiusque partibus*: item *Carmen græcum*, & aliud *latinum de Zonaræ Annalibus* abs *Hieronymo* WOLFIO editis: & *Nænia in obitum* præceptoris ſui *Xyſti Betuleii*, eiusque *Epithaphium.*

Prodiit iterum *Pſellus* hic in 8o. *Lipſiæ.* 1590. & *Heidelbergæ.* 1591. in 8o. *a*) haud dubie *latine* duntaxat: item *Lugduni Batavorum.* 1647. in 8o.

Dicavit *Noſter* de græco primùm à ſe latinè factum *Ulrico* FUGGERO Comiti *Kirchbergæ &c.* quem philoſophicorum ſtudiorum non amantem ſolum, ſed etiam in iisdem haud mediocri cum diligentia verſatum eſſe, abs *Hieronymo* WOLFIO (*fideliſſimo conatuum Noſtri adjutore*) ſæpenumero perceperat.

a) V. FABRICII *Biblioth. græc. L. V. P. I. in Leonis* ALLATII *Diatriba de Pſellis*, p. 24. 25. & *Mart.* LIPENII *Biblioth. philoſoph. p.* 109.

IV EURIPIDES. De laboribus à *Guilielmo* noſtro *Euripidi* conſecratis teſtatur *Melch.* ADAMUS in *Vitis Philoſoph. p.* 135. & FABRICIUS in *Biblioth. græc. L. II. p.* 656. dicit: *Inter libros ab Oporino excuſos memoratur* Euripides, latine, *ex Verſione Philippi Melanchtonis &* Guilielmi Xylandri, *qui emendavit, et Hecubam addidit anno* 1558. in 8o. Hinc SIMLERUS in Bibliotheca ait: *Euripidem latinum Philippi Melanchtonis, i. e. ex eius lectionibus negligentiſſime exceptum correxit, addita de ſuo Hecuba, quæ tum deerat. Impreſſit Oporinus anno* 1558. *& Ludovicus Lucius recognitam cum Philippea Hecuba.* 1561. *Xylandri* mentionem etiam facit *Thomas* BARNESIUS in Editione magnifica

Euri-

Euripidis Cantabrigienſi 1694. ubi vide *T. II.* in *Iphigenia in Aulide*, ad *v.* 168. *p.* 35.

V. MARINI *Neapolitani Vita Procli.* „ Eam „ dimidia parte mancam, cum (neſcio) cuius „ Verſione latina, vulgavit primus *Xylander* no- „ ſter, additam *M. Antonini*, *quibus ſe ipſum mo-* „ *net*, *libellis*. in 8o. *Tiguri.* 1558. Recuſa deinde „ *ibidem* utrâque linguâ. in 8o. 1599. & *ſex Libris* „ *Theologiæ Platonicæ* præmiſſa ab *Æmilio Porto.* „ *Hamburgi.* 1618. in *folio.*" Hæc *Fabricius* in *Biblioth. græc. L. V. c.* 26. *pag.* 455.

VI. THEOCRITI *Idyllia XXXVI. cum Scholiis in XVIII. Zachariæ* CALLIERGI : *& in Fiſtulam, Joann.* PEDASIMI, *Annotatiunculisque in reliqua Guilielmi Xylandri &c.* in 8o. *Græcè. Francofurti. Per Petrum Brubachium.* In *Dedicatione* ad *græcæ linguæ & poëſeos ſtudioſos adoleſcentes*, 1558. pridie Calend. Septembr. *Baſileæ* data, monet, ſe in ea *Idyllia*, in quæ *Scholiorum* nihil ad manus erat, *Annotationes* elucubrâſſe, nocturnas horas ſomno ſuffuratum; quod operam ſuam libenter ſtudioſæ juventutis commodis perpetuo accommodaret. Prodiit rurſus *Francofurti.* 1588. in 8o. teſte FABRICIO in *Biblioth. græc. L. III. p.* 437.

VII. PLUTARCHUS. Præclarum et immortalitate dignum Opus, continens *Vitas parallelas*: et alterum, quod *Moralium* titulo vulgo inſignitur. Utrumque vertit & annotationibus illuſtravit, teſte *Melchiore* ADAMO in *Vitis Philoſoph. p.* 134. 135. etſi Verſio *Hermanni* CRUSERII *Vitarum parallelarum*, ob facilitatem et elegantiam, *Xylandrinæ* præferatur.

Latine, cum Interpretatione *Noſtri* & Notis, *Plutarchus* exivit *Heidelbergæ* 1561. - 1570. duobus

To-

Tomis, in folio. et *Baſileæ* 1579. VI. Voluminibus, in 8o. et *Francofurti*, 1592. totidem Voluminibus, in 8o. apud *Wechel.*

Græco-latine vulgatus eſt *Plutarchus* anno 1599. *Francofurti*, apud *Claudium Marnium* & *Joannem Aubrium*, *Wechelii* hæredes, *duobus Tomis* in folio. *In Tomo I.* habentur *Vitæ parallelæ* ex Verſione CRUSERII ob cauſſam ſuperius indicatam: *In Tomo II.* extant *Moralia* cum Verſione *Noſtri* & Notis *&c.* Rurſus *Francofurti.* 1605. & 1610. & 1620. II. Tomi.

Plutarchus de Educatione Liberorum, græce et latine, ex Verſione *Xylandri*, *Lipſiæ.* 1705. in 8o. *Quæſtiones Romanæ*, græce et latine, cum Verſione ac Notis *Xylandri* & M. Zuerii *Boxhornii*, in *Theſauro Antiquit. Roman.* GRÆVII, *T. V.* in folio. *Commentarii duo: unus, quomodo adoleſcens Poëtas audire debeat: alter de Homeri Poeſi, ſive eius Vita &c.* Græce et Latine, cum Verſione & Notis *Noſtri Baſileæ* 1566. in. 8o. ſeparatim publicata fuerunt *a*). Inveni etiam ſequentes editiones Scriptorum *Plutarchi*, ſcilicet: *Moralia.* in 8o. Volumina III. *Baſileæ.* 1572. & *Francofurti*, totidem Volumina. 1603. *Varia Scripta, quæ Moralia dicuntur. Baſileæ.* in folio. 1574. *Vitæ paralellæ. Francofurti.* in folio. 1580. *cum Figuris. Ibidem*, 1600. *cum picturis artificioſis*, in folio: & ſi quæ ſunt aliæ editiones ſeparatæ, de quibus fuſius dicere haud juvat.

Ope-

a) V. FABRICII *Biblioth. græc. L. IV. P. I. p.* 372. *Mart.* LIPENII *Biblioth. philoſoph. p.* 1182. *Catalogum Biblioth. Bünav. T. I.* EHINGERI *Catalog. Bibl. Auguſt. p.* 788. GUNDLING in *Hiſtorie der Gelehrtheit. p.* 2689. in *Notis.*

Operum Plutarchi Tomum I. Noſter dedicavit *Friderico III.* Comiti Palatino Rheni addens, poſtquam multa de miſero rerum ſuarum ſtatu præmiſerat: *Itaque cùm hac laborioſiſſimæ lucubrationis meæ dedicatione quærere aliquem patronum cogerer, non virtus modo tua, Princeps illuſtriſſime! ſed et occaſio confirmavit, ut auderem, quod feci. Ad quem enim alium honeſte confugiſſem, te præterito, Scholæ eius, in qua pro virili mea bonas artes ipſe doceo, inſtauratorem, atque amplificatorem? ... His ergo, fretus obtuli me tibi... Facile autem impetratum eſt abs tua clementia, ut homini indigne oppreſſo ſubveniret...., Itaque vertente ad melius rerum mearum ſtatu, & ad tuam devoluto magnificentiam, id ſum conſecutus &c. &c.* Tomum II. verò *Ludovico*, filio eius, inſcripſit, his inter alia verbis uſus: *Plutarchi Chæronenſis Commentariorum horum, quos a me de Græcis inenarrabili atque incredibili labore, ſummaque fide et ſolicitudine Latinos factos tibi,* Ludovice! *Princeps Illuſtriſſime dedico, ea eſt omnium Doctorum conſenſu .. dignitas .. ut vereri nullo modo debuerim, ne tibi hoc noſtrum munus vile aut tanto Principe parum dignum videri poſſet. Porro autem cum jampridem compertum haberem, te .. ſumma erga clientes tuos (inter quos nomen meum profiteor) humanitate uti*: Opus *hoc meum, quodam tibi* jure tuo *debitum, ut ſub tuo illuſtriſſimo nomine in publicum darem ... conſultiſſimum fore duxi.* Jure *inquam* tuo, *Princeps optime! Nam cum ante annos fere decem* (1560.) Plutarchianorum *Volumen* Operum, *quo* Vitæ *præſtantiſſimorum* Græcorum *ac* Latinorum *exponuntur Virorum... inſcripſiſſem inclytiſſimo Patri tuo, alterum primogenito eius filio, quem fovendo etiam* Xylandro *con-*

fide-

ſidebam paternas æmulaturum virtutes, jam inde ab initio mearum in hoc Opere ærumnarum animo deſtinaveram... *Ex quo* Vitæ Plutarchi noſtræ *hominum doctorum manus pervolitarunt, non defuere, qui ſuaderent, inſtarent, ut* alterum *quoque hoc* Volumen *eodem modo e Græco in Latinum ſermonem transferrem. Hæſitavi diu, quod viderem ante me neminem unum auſum eſſe tantum opus moliri.... Tandem victus æquitate flagitantium.. in humeros meos hoc mihi onus impoſui... Ego, Princeps ampliſſime! unum hoc peto, ut hoc munus noſtrum benigno accipias animo, et miſeriarum laborumque noſtrorum eam habeas rationem, quam tibi generoſiſſima indoles tua, avita virtus, patris exemplum..dictabunt...*

Habuit in *Plutarcho* adornando adjutorem *Noſter* ſibi *Franciſcum* BALDUINUM *a*); nam cum eodem tempore *Jacobus* AMYOTUS *Vitas Plutarchi* gallicâ linguâ edidiſſet, audiviſſetque *Noſter* ab iis, qui linguæ huius gnari erant (quod ſibi haud datum fuerat) illud Opus commendari plurimum: ope ſuorum amicorum, præcipue BALDUINI, *quem, ut ipſius ſumma doctrina, et virtus, et amor in me* (Noſtri verba ſunt) *ſingularis meretur, honoris cauſſa nomino*, nonnullos, de quibus dubitabat, locos correxit.

a) Doctiſſimus hic Juriſconſultus eo tempore *Heidelbergæ* Profeſſorem *Juris & Hiſtoriarum* agebat.

VIII. *Vita Plutarchi*, â *Noſtro* ſcripta, extat impreſſa ante ipſum *Plutarchum T. I.* editionis *Francofurtenſis*, 1599. & reliquarum, ad hanc factarum.

IX. *Die ſechs erſte Bücher* EUCLIDIS *vom Anfang oder Grund der Geometrie, verteutſcht durch Wilhelm Holzmann, genannt Xylander von Augſpurg.* c. fig. *Baſel.* 1562. Editio â FABRICIO in

Biblioth. græc. L. III. p. 375, & aliis ignorata. Confer Librum: *Denckwürdigkeiten der Dreſdenſchen Biblioth. T. II.*

Dedicavit *Noſter*, ob gratam beneficiorum in pueritia acceptorum memoriam, Duumviris, Conſulibus & Senatoribus Reipublicæ *Auguſtanæ*.

X. *Georgi* ICEDRENI *Annales, ſive Hiſtoriæ ab exordio mundi usque ad Iſaacum Comnenum Compendium græce et latine, Interprete Guilielmo Xylandro, cum Annotationibus eiusdem & Tabulis chronologicis.* in *folio. Baſileæ.* 1566. Tranſiit hic *Noſtri* labor in *Corpus Hiſtoriæ Byzantinæ*, editionis tum *Pariſinæ*, tum *Venetæ a)*.

Annales iſtos *Noſter*, *non ſine magnis ærumnis â ſe in latinum verſos*, dedicavit *Marco* & *Joanni* FUGGERIS, *Antonii* filiis, fratribus germanis, qui e ſua Bibliotheca Codicem MSStum. *Noſtro* obtulerunt, eidemque *Cedreni* & convertendi provinciam crediderunt, & imprimendi impenſas ſubminiſtrârunt: quod ipſe teſtatur, addens, hoc maximè *impulſore D. Ludovico* CARINE *ſene longe doctiſſimo, de ſe jamdiu ita merito, ut dignam gratiarum actionem referre ei, in hac ſuarum rerum conditione non valeat: item aliis primariis Viris; tum ipſo etiam Hieronymo* WOLFIO, *ſui amantiſſimo factum fuiſſe.*

a) V. FABRICII *Bibl. græc. L. V. c.* 4. *p.* 155.

XI. STEPHANUS *de Urbibus, Guilielmi Xylandri labore â mendis repurgatus. Græce. Idem Opus latine factum, inſertum eiusdem* Xylandri Onomaſtico geographico *paulo poſt in lucem dabitur. Baſileæ* 1568. in *folio*. De hac editione audiamus FABRICIUM in *Biblioth. græc. L. IV. c.* 2. *p.* 51. dicentem: *Xylander Baſileæ* 1568. *Stephanum innume-*

nume-

numeris locis emendatum cum ſuis caſtigationibus, græcè, ſubjecto Auctorum ab Ἐθνικογράφῳ *laudatorum indice, recudendum dedit, & hac editione procul dubio optime de Stephano promeritus eſt. Sunt, qui latinam Verſionem etiam ſimul edidiſſe affirmant: ſed hos falli conſtat: etſi verſionem promiſit molitusque fuit Xylander, cuius partem Heidelbergæ ab eius heredibus redemit, & anno* 1626. *ad Holſtenium miſit Claudius Salmaſius &c.* Confer Librum: *Denckwürdigkeiten der Dreſdenſchen Biblioth. T. III.*

Litterarii *Noſtri* in *Stephanum* conatus tranſlati poſtea ſunt in editionem *Amſtelodamenſem* anni 1678. à *Thoma de* PINEDO datam, et in *Lugduno-Batavam* anni 1688. abs *Abrahamo* BERKELIO nitidiſſimis typis vulgatam: in cuius *Præfatione* ad laudem *Noſtri* ſequentia memorantur: *Hæc Stephani lucubratio ... ter prodire juſſa, etſi valde mutilata et manca, per Aldum & Iuntam, tandem & ab Xylandro in lucem venit* multis in locis mediocriter emendata et aucta. *Poſt Xylandrum*, qui præſtitit multa, *alii quoque Viri docti &c.*

Dedicavit *Noſter Carolo Wolfgango Rehlingero, Wolfgangi* ſtudiorum ſuorum promotoris et primi patroni (uti in *Vita* audivimus) filio *patrem ſuum multimodis repræſentanti.*

XII. STRABONIS *Rerum geographicarum Libri XVII. recogniti & latine facti* à *Guilielmo Xylandro, cum eiusdem Notis & Caſtigationibus.* in folio. *Baſileæ* 1571. Græce et Latine. *Noſtrum* in hoc Scriptore explicando magna negligentia uſum fuiſſe conqueſtus eſt CASAUBONUS. Adjectæ ſunt hinc inde *Tabulæ geographicæ Ptolemaicæ*, non valde nitidè expreſſæ a) Verſionem *Xylandrinam*

ſibi adoptavit *Iſaacus* CASAUBONUS, cuius editio *Genevæ* anno 1587. in folio. iterumque in folio *Pariſiis* 1620. excuſa fuit. Notas *Xylandrinas* ſuis et aliorum Eruditorum annotationibus ſociavit *Theod. Ianſ. ab* ALMELOVEEN in ſplendida ſua editione *Strabonis*, in folio. *Amſtelodami*. 1707. publicata.

Præmiſit *Noſter* Operi, quod *Auguſto* Duci *Saxoniæ* ſacrum voluit, *admonitionem*, quâ typographis (ne illud intra decennium recudendo ſuffurentur) tenore *Privilegii cæſarei*, ſibi *Spiræ* 1570. 16. Auguſti conceſſi, interdicit.

a) V. FABRICII *Biblioth. græc. L. IV. P. I. p.* 6. & *Catalogum Biblioth. Bünav. T. I.* Librum: *Denckwürdigkeiten der Dresdenſchen Biblioth. T. I.*

XIII. POLYBII *Römiſche Hiſtorien durch Xylandern verteutſcht.* in folio. *Baſel.* 1574. Hæc Verſio, prima vernacula, reliquis vernaculis longe præfertur à *Caſaubono* his verbis: *Non defuêre, qui in vulgares linguas tantum Polybii verterent, quantum latine expoſitum inveniebant: ſi tamen vertere eſt, Romanæ interpretationis ſexcentos errores aliis totidem cumulare, atque interim græcæ linguæ peritiam in prima libri fronte mentiri. Unicam excipio* germanicam *Verſionem ab homine* longe eruditiſſimo *profectam, ſed quod res arguit, et alia eius Scripta teſtantur, variis ſemper curis occupato.* Vide *Fabricii Bibliothecam græcam, L. III. p.* 762. *Beyträge zur kritiſchen Hiſtorie der deutſchen Sprache &c. Vol. III. p.* 237. ubi integer *Operis* titulus affertur, quem ego apponere nolim, ne juſtô longior ſim.

Dicavit Noſter *Joanni Caſimiro* Comiti Palatino Rheni, Duci Bavariæ.

XIV.

XIV. *Schediaſma Guilielmi Xylandri de aſtronomico Horologio Argentoratenſi.* in 4to. 1575. V. JOECHERN *Gelehrten - Lexicon.* *Mart.* LIPENII *Biblioth. philoſoph. p.* 99. & 690.

XV. APOLLONII *Pergæi Conica. Latine. cum Commentario Xylandri.* in folio. *Baſileæ.* 1575. Editio ignorata FABRICIO in *Biblioth. græc.* ſed diſertis verbis memorata à *Mart.* LIPENIO in *Biblioth. philoſoph. p.* 83. cui fidem derogare nolim.

XVI. DIOPHANTI *Alexandrini Rerum arithmeticarum Libri VI. item Liber de Numeris polygonis. Latine.* in folio. c. figuris. *Baſileæ.* 1575. Huius Auctoris *Libros* ab *Andrea* DUDITHIO acceptos latine vertit, illâque linguâ primus edidit, *Planudæque* Scholia & *ſua ipſius perdocta Commentaria* adjunxit *Noſter.* Poſt *Xylandrum* edidit *Diophantum* Claud. Caſpar. BACHETUS, in folio. *Pariſiis.* 1620. *Noſtri* obſervationes plerumque non aſpernatus. V. FABRICII *Biblioth. græc. L. IV. P. II. p.* 14. DOPPELMAYR *von Nürnbergiſchen Künſtlern. p.*72.

Conſecravit *Noſter Ludovico* Duci *Würtembergico*, à quo in præmium laboris 50. Thaleros *a*) recepit teſte CRUSIO in *Annal. Suevic. Dod. III. p.* 754. In hac *Nuncupatoria* ſequentia obſervanda occurrunt. *A multis annis ego mathematicarum verarum ſcientiarum (Geometriam dico., Arithmeticam, et quæ proprie dicitur Coſmographiam) amore ita flagravi, ut docere etiam conarer alios ea, quæ diſcendi mihi neceſſitatem injunxeram. Huius rei teſtimonia extant in meis lucubrationibus, iis præſertim, quas iniquitate temporum circumventus*

a) Non 500. *Thaleros*; uti male habet JOECHERN in *Gelehrten - Lexicon.*

abſolvere, et edere nondum potui. Itaque cum apud Suidam de Arithmetica Diophanti aliquid obſervaviſſem commemoratum, amatores imitatus, adſpectum ſaltem eius Operis exoptavi. . . . . Neque prætereundum eſt, qua occaſione atque unde Diophantei Codicis copiam ſim conſecutus. Cum menſe Octobri, anni MDLXXI. Wittebergam veniſſem, ſingularem eius nobiliſſimæ Academiæ in me humanitatem expertus . . . inter alia in Colloquium de rebus mathematicis veni cum . . . ſummis Mathematicis, D. Sebaſtiano THEODORICO *et M. Wolfgango* SCHULERO. *Ibi mihi ii aliquot paginas Diophanti græcas inſpiciendas dederunt, non diſſimulato eius, ad quem is Codex pertineret, nomine. Is eſt ampliſſimus Vir, ſummo apud Polonos loco natus. . . Andreas* DUDICIUS *Sbardellatus . . . Ei ego jam ante a ſtudio et peritia Arithmeticæ ita fueram commendatus, ut mutuas etiam de iſto argumento litteras dederimus acceperimusque, et ſummo opere fui ab eo, tanto Viro, in harum ſtudio rerum confirmatus. Witteberga proficiſcens unum problema Diophanti exſcripſi, quo me in itinere oblectarem: cuius explicationem cum perſcripſiſſem, Lipſiæ id Simonio* SIMONIO *Lucenſi Philoſopho doctiſſimo ac Medico eximio, qui . . . me humaniſſime hoſpitio ſuo acceptum habuit, oſtendi, expoſuique, me ſi ita* DUDICIO *videretur, latinam Diophanti Arithmeticam facturum: placuitque, ut ad eum de iſto negotio ſcriberemus. Paucis poſt menſibus* DUDICIUS *ad me Diophantum miſit, meque, ut promiſſa complerem, vehementer eſt cohortatus.*

XVII. *Q.* HORATII *Flacci Poëmata ſecundum optimas quasque editiones accuratiſſime caſtigata, cum argumentis ſingulorum poëmatum & annotationibus*

nibus Guilielmi Xylandri. Heidelbergæ in 8o. 1575. Iterum Neoſtadii. in 8o. 1590. V. FABRICII *Biblioth. latin. T. I. p.* 287. & *Catalogum Biblioth. Bünav. T. I.* Melch. ADAMUS *l. c.* ob hanc editionem *Noſtro* laudes ſequentibus dicit: *Edidit Horatium cum Notis, laconicis illis quidem, ſed perquam eruditis fructuoſisque, in quibus id operam dedit, ut non Horatium modo, ſed et alios græcantes Scriptores legentibus lucubratio commodaret.* Conſonat *Dan.* MORHOFIUS in *Polyhiſtore T. I. p.* 898. dicens: *Eodem circiter tempore Guil. Xylander,* doctiſſimus Vir, *Horatium ad optimas quasque editiones caſtigatum accuratiſſime, & copioſis annotationibus illuſtratum emiſit.*

XVIII. *Guilielmi Xylandri Inſtitutiones aphoriſticæ Logices Ariſtotelis ita ſcriptæ, ut adoleſcentibus proponi commode, eorumque ad Ariſtotelea percipienda acuere ingenium et memoriam juvare poſſint: Et rerum Mathematicarum, ea brevitate eoque ordine conſcripsæ, ut utiliter adoleſcentibus explanari, ab iisque ediſci queant.* in 4to. *Heidelbergæ.* 1577.

XIX. TRYPHIODORI *Ægyptii Carmen epicum de Trojæ everſione.* Hoc verſibus hexametris, ita ut verſus verſui reſponderet, juvenis adhuc 16. annorum, in Schola *Auguſtana* latinum reddiderat: *Oporinus* ipſo inſcio impreſſit. Poſtea idem heroico carmine vertit, additis Annotationibus, quibus pleraque loca corrupta reſtituuntur, multa explicantur. Hanc *Verſionem* non impreſſam fuiſſe, recte monuit anno 1574. *Joſias* SIMLERUS in *Bibliotheca*; ſed poſtea ad calcem *Diodori Siculi*, anno 1578. *Baſileæ* in folio excuſi, adjecta fuit: uti docet FABRICIUS in *Biblioth. græca, L. II. p.* 363. Confer

Librum: *Denckwürdigkeiten der Dreſdenſchen Biblioth. T. II.*

XX. *Guilielmi Xylandri Carmina.* Sunt hæc eadem, quæ ſuperiùs, *No. III.* in *Michaelis* PSELLI *&c.* enumeravi, quibus noviter acceſſit *Carmen ad Genethliacos ex B. Auguſtino.* Extant ſimul in *Deliciis Poëtarum Germanorum*, *Francofurti.* 1612. *Tom. VI. p.* 1139. *ſeqq.*

XXI. PAUSANIAS. Scilicet *Aldinam* græcam editionem *Pauſaniæ* plurimis in locis emendârat *Noſter*, & Notas quoque, ſed quæ initio *Eliacorum priorum* deficiunt, addiderat. Succedaneum huius laboris ſe faciens *Fridericus* SYLBURGIUS amicus *Noſtri*, & Verſionem latinam *Romuli* AMASÆI, â ſe recognitam, Notas ſuas, aliaque adjungens, *Opus* edidit *Francofurti*, in folio. 1583. hoc titulo: *Pauſaniæ accurata Græciæ Deſcriptio, â G. Xylandro recognita. Acceſſerunt Annotationes â G. Xylandro inchoatæ & â Frid. Sylburgio continuatæ &c.*

Præmittitur ad *Hulderiсum* FUGGERUM in PAUSANIAM, â *Guilielmo* XYLANDRO patre correctum, *Oneſimi* filii *Præfatio*, in qua ait: *Auctorem hunc paternorum amicorum ope conſervatum ſibi ac reliquis pupillis, ſe Hulderico conſecrare; quod is ſibi naufragium ſtudiorum facienti ea beneficia contulerit, & conferat, quæ omnem ſuam exſpectationem vincerent.* Ex *Dedicatione* SYLBURGII ad eundem *Hulderieum* FUGGERUM ἐργοδιώκτην inſuper diſcimus: *Noſtro* & *Zachariam* URSINUM & *Joannem* OPORINUM celeberrimum ac perdoctum Typographum amiciſſimos fuiſſe: etenim â poſteriori Codicem *Pauſaniæ* muneri acceperat: priori eundem Codicem dono dedit XYLANDER.

Pro-

Prodivit denuo *Pauſanias Hanoviæ* in *folio.* 1613. Rurſus, curante *Joachimo* KUHNIO, *Lipſiæ.* in folio. 1696. *a*).

a) V. FABRICII *Biblioth. græc. L. IV. c.* 15. *p.* 471. *Catalogum Biblioth. Bünav. T. I. P. I. p.* 174.

XXII. *Commentarius in* SLEIDANUM *de IV. ſummis Imperiis.* De hoc teſtatur *Nicol. Hieronym.* GUNDLINGIUS in *Hiſtorie der Gelehrtheit p.* 2690. in *Notis*, dum titulum Libri ſic effert: *Jo.* SLEIDANI *Opuſcula quædam, quorum ipſe partim auctor partim interpres; opera & ſtudio Heliæ* PUTSCHII. *Accèdunt ſeorſim Commentarii & Notæ Guilielmi Xylandri in Libros: De IV. Monarchiis. Hanoviæ.* 1608. in 8o. *Gotefridus* WAGENER in *Schurzfleiſchianis* ait *pag.* 131. *Xylander* anno 1570. *ſcripſit Annotationes in Sleidanum &c.*

XXIII. *Dionyſius Halicarnaſſæus.* Quid opis SYLBURGIUS, huius Auctoris editionem parans, â *Noſtro* habuerit, ſupra monui in WOLFII *Opp. Catalogo No. XXI.* Confer Librum: *Denckwürdigkeiten der Dreſdenſchen Bibliothek. T. II.*

XXIV. *Clemens Alexandrinus.* Annotationibus *Noſtri* in *Clementem* uſum ſe profitetur *Fridericus* SYLBURGIUS, in *Clemente* â ſe edito.

Jam ad Opera *Noſtri* vel *affecta*, vel *meditata* deveniendum eſt; quorum ille multa, præmatura morte vivis ereptus, reliquit. Sunt illa:

1. *Commentarii in* HOMERUM. De his teſtatur *Noſter* in *Annotationibus* ad *Plutarchi Vitas* dicens: *Quod ex Pollucis L. IX. Eraſmus hoc ad Uraniam refert, quam fidem mereatur, in* Commentariis Homericis *docui.* In *Dedicatione* vero ad *Plutarchum* (Quomodo adoleſcens Poetas &c. & de Homeri Poëſi) ait: *Cum de* Commentariis

Homericis *quondam promiſſis, quorum jam cæſa erat materia, formataque conſtructio, hoc tempore edendis deſperare multæ me cauſſæ cogerent, cogitare coepi, aliam rationem, qua ſtudium tum eius Poetæ, tum reliquorum utriusque linguæ (impuros ſemper excludo) & apud multos excitarem, & pro virili mea adjuvarem. Quam ad rem aptiſſimum fore* Plutarchi de Homeri Vita Librum *vidi, ſi non latine modo proponeretur; ſed etiam explicarentur alicubi fuſius, quæ ille dixerat preſſius: atque oſtenderat verius, quam tradiderat, ...*

Itaque vix credo, *Commentarios* iſtos exiviſſe: etſi fortaſſis *Noſter* ex illis nonnulla transtulerit in memoratum *Plutarchi de Vita* HOMERI *Librum*, de quo paulo poſt *No.* 6.

2. *Variarum Lectionum Libri.* De his in *Annotationibus* ad *Plutarchi Vitas* ait: *Quam ſtulte doctiſſimum Poetam interpres Zezes inſectetur, oſtendam (Deo volente) in* Variis Lectionibus *meis aliquando.* Harum excuſum vidi nihil.

3. *Algebra, & Euclidea varia.*

4. *Geometrica, & Aſtronomica varia, ſeu Opuſcula mathematica.* Tribuit *Noſtro* omnia hæc ADAMUS *l. c.* ſed eorum nihil typis procuſum reperire potui; niſi forſitan ADAMI verba ſpectent ad ea Opera, quæ ſuperius *No. III. IX. XIV. XV. XVI. XVIII.* memoravi.

5. *Tabulæ Grammaticæ græcæ.* De his rurſus ADAMUS *l. c.* teſtatur. Neque harum quidquam vidi ego. Nota, Lector! Opera *Nis.* præcedentibus *II. III. IV. V.* indicata SIMLERUS, in *Bibliotheca*, *Noſtro* et ipſe tribuit; ſed addit: *ea (quod ſciat) nondum edita eſſe.*

6. PLUT-

6. PLUTARCHI *de Vita Homeri Liber*. De hoc *Noſter* in *Præfatione* ad *Plutarchi Vitas* inquit : *Quem ego Librum (cum pauciſſimis Vita Poëtæ explicetur ; reliqua vero de Poeſi eius ſint : atque ob id huc non pertineat) ego ſuo tempore, ita ut ex re ſtudioſorum eſt, tractatum in lucem dabo.* Et expleviſſe promiſſa, ſaltem ex parte, videtur annô 1566. quô ad *Chriſtiferum*, filium *Friderici III.* Electoris Palatini, *Plutarchum de Poeſi Homeri* dedit. Vide ſuperius in *Vita Noſtri p.* 230. *&* *No. VII.*

7. *Commentarius in* HORATIUM *de arte poetica.* De hoc ADAMUS *l. c.* ſequentia habet : *Commentarium quoque copioſum in Horatii Artem poeticam ſcribere orſus fuit ; ſed morbo impeditus, ac tandem morte abreptus, non abſolvit.*

8. *Onomaſticon geographicum.* Huius meminit *Noſter* in *Titulo* & in *Præfatione* ad *Stephanum de Urbibus* : item in *Dedicatione* ad *Strabonem.* Non prodiit in lucem.

9. ARISTOTELIS *Opera.* Audiamus CRUSIUM in *Germano - Græcia*, p. 325. dicentem : *Molitus eſt caſtigatiſſimam Operum Ariſtotelis cum Annotationibus editionem : cumque anno* 1575. *hîc meum Exemplar, ubique à me Annotationibus præſcriptum, vidiſſet, aliquid opis petiit. Quo poſtea accepto, die* 18. *Octobr. eiusdem anni, his verbis mihi reſcripſit* : „ Verbis exprimere meum ſenſum nequeo de officio abs te mihi in Ariſtotele præſtito. Indefeſſam quidem tuam induſtriam admiratus ſum. Sed cum tu, abundantia quadam amoris in me ſingularis inſtigatus, eo alacrius etiam Reipublicæ litterariæ iſtum operoſiſſimum laborem impenderis, quid me deceat, intelligo, et efficiam (ſpero) ut officium me feciſſe conſtet.“

10.

10. *Verſio latina* STEPHANI *Byzantini de Urbibus*. De hac vide ſupra, *No. XI.*

11. *Novum Teſtamentum.* De hoc citatus SIMLERUS anno 1574. ſcripſit: *Novi Teſtamenti libros è Græca lingua in Germanicam quam accuratiſſimè transfert* (Xylander) & *Annotationes adjungit.* Foras haud prodiviſſe credo, quod *Le* LONGIUS in *Biblioth. ſacr.* de facta editione altum ſileat, contentus, SIMLERI mox allata verba allegâſſe.

De *Epiſtolis* anecdotis Guilielmi *Noſtri* pauca ſunt, quæ moneam. I. Plurimas abs ipſo recepiſſe ſe, CRUSIVS locô mox citatô affirmat. II. In *Bibliotheca Kraftiana* Noſtri Epiſtolas, illò ex *Bibliotheca Spizeliana* translatas, exſtitiſſe monuit *Jo. Georg.* SCHELHORNIUS in *Amœnit. litterar. T. III. p.* 117.

Ad Liberos *Noſtri* quod attinet, nihil eſt ferme, quod afferam. *Oneſimi* ſupra mentio incidit in *Catalogo Opp. Noſtri*, *No. XXI.*

Inſuper duos alios invenio circa illa tempora XYLANDROS: Unum *Joannem*, quem annô 1591. in Gymnaſio *San-Annæano Auguſtæ* docuiſſe, tradit *Philipp. Jacob.* CROPHIUS in *Hiſtoria* vernacula *eius Gymnaſii*, *p.* 101. Alterum *Nicolaum*, â quo extant *Motivæ Cauſſæ, cur hæreſin Lutheranam, cuius aliquando Miniſter fuit, deſeruerit: ac ſe in Catholicæ Eccleſiæ gremium contulerit?* in 4to. *Ingolſtadii.* 1580. contra quem Librum prodiit alius hoc titulo: *Cur non debuiſſet doctrinam Lutheranam deſerere, ac ſe in Pontificiæ Eccleſiæ gremium conferre?* in 4to. *Heidelbergæ.* 1581. Vide LIPENII *Biblioth. theolog.* Quendam *Danielem* XYLANDRUM *Labacenſem Tubingæ* anno 1591. Philoſophiæ

phiæ Magiſtrum creatum fuiſſe, tradit CRUSIUS in *Annal. Suev. Dod. III. p.* 838.

ZIEGLERUS (*Hieronymus*)

Etſi ZIEGLERUS, patriâ *Rottenburgenſis a)* fuerit; tamen, quod plurium annorum ſpatio *Auguſtæ* commoratus ſit, locum ſibi in præſenti *Bibliotheca* jure vendicat.

De adoleſcentia *Noſtri* comperire mihi hactenus licuit nihil, præterquam quod ad annum 1534. in *Ingolſtadiana* Academia *Magiſterii* gradum *b)* ceperit. Sequenti anno (1535.) *Auguſtam* delatus in *San - Annæano* Gymnaſio didaſcalum egit, teſte CROPHIO *c)*. Eundem anno 1540. in memorata *Ingolſtadienſi* Univerſitate *Philoſophiæ Profeſſorem factum* fuiſſe, tradunt *Annales* eius *Academiæ*, *T. I. p.* 272. Sed mox eum (1542.) *Auguſtæ* rurſus *Ludimagiſtri* vices obeuntem reperio *d)*: ibique eum hac quidem vice longiori tempore ſubſtitiſſe, plura ingenii ſui monumenta in lucem produxiſſe, ac plura dediſſe pro eius ætatis more ſpectacula, non tam credo, quam ſcio: & inferius â me dicenda plane confirmant. Poſthæc *Scholæ poeticæ apud Monacum* præfuit, ut ipſe teſtatum reliquit in Dramate comico-tragico: *Regales Nuptiæ*, anno 1553. excuſo. Demum *Monachio Ingolſtadium* denuo vocatus, ut *Artem poeticam* ibi profiteretur, id muneris anno 1554. aggreſſus eſt, ornavitque ad vitæ finem usque: quod laudati *Annales* monent, ad-

a) Ipſe de ſe in Titulo ad BOCATIUM *de Caſibus Vir. illuſtr.* hoc teſtatur.
b) V. *Annales* huius *Academiæ. T. I. p.* 272.
c) In *Hiſtor.* vernacula eius *Gymnaſii. p.* 99.
d) V. PLINIUM â *Noſtro* editum.

additô ſequentî elogiô. *Anno* 1562. *die* 28. *Januarii obiit Hieronymus* ZIEGLERUS *Poeſeos Profeſſor & Hiſtoriarum non imperitus. Plurimum operæ cum in Annalibus* AVENTINI *transſcribendis, revidendis, publicandis : tum etiam in aliorum Hiſtoriographorum monumentis evolvendis & repurgandis poſuit... In deductione funeris orationem habuit M. Caſparus* MACER *Albimœnius oratoriæ Facultatis Profeſſor: Succeſſit defuncto Vitus* JACOBÆUS *Norimbergenſis P. L. &c.*

Pauca hæc de Vitæ *Noſtri* circumſtantiis ſufficiant, Lector! De doctrina autem eius, meritisque litterariis, de fautoribus & amicis plura diſces ex *Catalogo Operum* eius, quem ſubjungere paro.

Atque ut primô locô de *Dramatibus* â *Noſtro* vulgatis dicam, ad maiora ſeverioraque poſt hæc gradum promoturus, ſunt illa.

I. *Protoplaſtus.* Comico - tragœdia. II. *Iſaaci immolatio.* Comœdia. III. *Nomotheſia.* Tragico - comœdia. IV. *Samſon.* Tragœdia. V. *Heli ſive Pædonothia.* Tragœdia. Inveniuntur hæc omnia, cum aliorum doctiſſimorum Virorum Dramatibus conjuncta, in Libro: *Dramata ſacra.* in 8o. *Baſileæ. Ex Officina Joannis Oporini.* 1547. *e*). VI. *Ophiletes.* Drama comico - tragicum in 8o. *Baſileæ.* 1546. *f*). VII. *Vinea Chriſti.* Drama ſacrum. *Baſileæ.* 1546. *g*). VIII. *Cyrus major.* Drama tragicum

cum

e) Vix dubito, quin *Dramata* hæc primitus ſeparatis libellis excuſa prodierint. Horum tamen in manus meas nullus incidit.

f) V. LIPENII *Biblioth. theolog. T. I. p.* 491.

g) LIPENIUS in *Bibl. theol. T. II. p.* 901. Hoc idem Drama, adjecto *Ophilete* recuſum *Baſileæ apud Oporinum* anno 1551. fuiſſe, teſtatur idem in *Bibl. philoſoph. p.* 327.

cum. in 8. *Auguſtæ Vindel.* 1547. *h*). IX. *Regales Nuptiæ.* Drama comico-tragicum. in 80. *Auguſtæ.* 1553. Dicavit Noſter nobili et erudito adoleſcenti *Jo. Georg.* ROMUNGIO, quod huic *omnia ſua ſtudia propter aſſiduam eius in ſe benevolentiam debebat. Egregiam lucubrationem* vocat *Martinus* BALTICUS in *Carmine* prævio. X. *Decem Virgines.* Drama comico-tragicum. Huic idem BALTICUS *Monacenſis* accinuit. XI. *Abel juſtus*; quod Drama *Annales* ſæpius laudatæ *Academiæ Noſtro* tribuunt.

Hæc de Dramatibus *Noſtri*, quibus *Poëtam* ſe ſe, et *Comicum* nequaquam infimi ſubſellii comprobavit. Jam ad alia graviora. — Sunt iſta.

I. *Plutarchi Büchlein, wie ſich zwey Eheleuthe gegen einander halten ſollen. Aus dem Lateiniſchen überſezt &c.* in 4to. *Augſpurg.* 1545. V. *Catalog. Biblioth. Bünav.* T. I. p. 166.

II. *Die Schatzkamer der Geſundheit &c.* Eſt Verſio ex Latino facta *Ærarii Sanitatis Ant.* GAZII Archiatri Regis Poloniæ *Sigismundi.* Conſecravit *Noſter* anno 1546. *Conrado Cellario* (*Celler*) *Iſereckenſi*, contractæ cum eo in Univerſitate (in quâ, non addit; haud dubie *Ingolſtadiana*) amicitiæ renovandæ cauſſâ.

III. *C. Plinii II. Novocomenſis de Viris in Re militari, et adminiſtranda Republica illuſtribus Liber, cum Scholiis Hieronymi Ziegleri. Anno* 1542. in 80. *Auguſtæ Vindelicorum, per Valentinum Otmar. Menſe Auguſto.* Inſcripſit *Jo. Jacobo, Georgio, Udalrico* FUGGERIS fratribus germanis. Sequuntur Carmina Xyſti *Betuleii*, Andreæ *Roſeti*, Erasmi *Wolphii*, Andreæ *Dietheri* encomiaſtica,

In

h) V. LIPENII *Biblioth. philoſ. p.* 327.

In *Præfatione* de vero *Libri* huius Auctore diſquirit *Noſter*. V. FABRICII *Biblioth. latin. T. II. p.* 79. quem tamen memorata editio latuit.

IV. *Jo. Bocatii de Certaldo . . . de Caſibus Virorum illuſtrium Libri IX. ſtudio et operâ Hieronymi Ziegleri*, in fol. *Auguſtæ Vindelicorum. Philipp. Ulhardus excudebat.* 1544. Opus hoc ferme *biennali* induſtria *ab innumeris mendis repurgatum* et *ſcholiis* ornatum dicavit *Noſter* magnifico Heroi *Leonardo Beckh à Beckhſtain*, S. C. M. à Conſiliis, bonorum ſtudiórum Patrono maximo, ubi ait: *Cum forte fortunâ huius Operis exemplar nactus eſſem* (*ſed certe ubique mendorum, errorumque plenum*) *operæ pretium fore putabam, ſi in eo exſcribendo operam ſumerem: quo fortaſſis liber hic terſior limatiorque exiret. Ad quod quidem me viri doctiſſimi adhortabantur ſedulo, inter quos tu, Nobilis Ornatiſſimeque* Leonarde! *præcipue inſtabas, et calcar addebas aſſiduum. Ideo ſemel ſuſceptum* (*quamvis vires ſuperabat meas*) *intermittere ſine dedecore non potui. Suſcepi igitur, et malui parendo temeritatis, et accuſationis crimen ſubire, quàm negando ingratitudinis vitio accuſari. Quantum enim tibi debeam, teſtatur animus meus ſemper tibi devinctiſſimus. Quare quidquid ſucceſſivo tempore requieti juſte ſubducere, quod veſpertina antelucanaque* (*nam aliud nihil publicum munus pueros docendi admittebat*) *lucubratione comparcere potui, id univerſum in hoc Opere limando, reſtituendoque conſumpſi. Nihil me denique ab inſtituto deterruit, quod ſæpiſſime tamquam in luto hæſitabam* (*fortaſſis exemplaris vitio, quodque unum tantum in manu erat*) *ne ideo minus alacriter pergerem: augebat denique induſtriam noſtram ſingularis in eum Authorem amor. Præterea te duce certe plurima ſuperavi. Quoniam nemo*

eſt,

eſt, qui te hiſtoriarum cognitione vel vincat vel æquet. Quidquid enim eſt antiquarum, ſimul et præſentium hiſtoriarum, id non auditu tenes, ſed frequenti et aſſidua lectione aſſequutus optime recitas. Et quod mirandum eſt, admirabili in his rebus, et omnibus aliis memoria vales. Quodque ad hanc rem plurimum confert, Bibliothecam habes non tritis et quotidianis authoribus, immo veterum rariſſimorum et optimorum ſcriptis refertiſſimam. Quot non habes Hiſtoricos, quot Poetas ab aliis nondum viſos. In quibus etiam nihil quicquam ſumtibus parcis, quò propoſito tuo ſatisfacias....

Præfationi ſuccedunt Georg. *Læti* Archigrammatæi *Auguſtani*, Leonardi *Gebhart* Syndici *Auguſtani*, Xyſti *Betuleii*, Andreæ *Roſeti*, Wolfgangi *Martii*, Andreæ *Dietheri*, Joannis *Pontani* Carmina tum laudatoria, tum propemptica: denique *Vita Bocatii ex italico Anonymi cuiusdam latine verſa, abs Chriſtoph.* WIRSUNGO *Auguſtano.* Confer FREYTAGII *Apparat. litterar. T. I. p.* 439. ubi accurate recenſetur hæc Editio.

V. Idem BOCATII Opus in Germanicam linguam convertit, ediditque hoc titulo: *Fornemſte Hiſtorien und Exempel von widerwertigem Glück, merklichen und erſchröcklichen Unfahl &c. &c. &c.* in fol. *Auguſtæ.* Apud *Henricum Steiner.* 1545. *Cum Figuris ligneis.* V. *Catal. Bibl. Bunavianæ. Tom. II. p.*227. 228.

VI. Præterea ſollertiæ *Noſtri* acceptos referre Respublica litterata debet *Joan.* AVENTINI *Annales Bojorum*: de quo *Annales Academiæ Ingolſtadianæ, T. I. pag.* 151. ſequentia narrant: *Anno* 1534. *Opere ad calcem perducto, necdum tamen typis edito, mortuus eſt Aventinus. Poſt annos itaque*

R non-

nonnullos Hieronymo ZIEGLERO, *Oratoriæ* (fors melius : Poeticæ) *apud nos Profeſſori ab* Alberto *Duce demandata eſt ea cura, ut* Annales Aventinianos *de novo exſcriberet, atque prælo appararet; quod ille tam diligenter præſtitit, ut anno* 1554. *Decembri menſe totum Opus in officina* Alexandri *et* Samuelis *fratrum* Weiſſenhorniorum *abſolutum fuerit. Fatetur vero* ZIEGLERUS : *præter invectivas quasdam in eccleſiaſticas perſonas et fabuloſas narrationes, quæ omnia nihil quicquam ad hiſtoriam facere viſa, pauciſſima fuiſſe omiſſa; idque ipſum Doctorum et in hiſtoriis exercitatorum virorum judicio.* V. STRUVII *Biblioth. hiſtor. p.* 1074. ubi editiones ſubſecutas recenſet.

VII. *Vita Jo.* AVENTINI. Habes ante *Annales Boiorum.* 1580. *Baſileæ.* excuſos, et in *Vitis clariſſimorum Hiſtoricorum à Chriſt. Gottl.* BUDERO. 1740. editis.

VIII. *Illuſtrium aliquot Germaniæ Virorum Hiſtoriæ aliquot ſingulares.* in 4to. *Ingolſtadii.* 1562. *Per Alexand. et Sam. Weiſſenhornios.* V. *Catal. Biblioth. Bunav. Tom. I. p.* 567. et *Struvii Bibl. antiq. T. I. p.* 535. et *Eiusdem Bibl. hiſtor. p.* 768.

IX. *Carmina nonnulla.* De his *Annales Academ. Ingolſtad.* teſtantur *T. I. p.* 272.